FASCICULUS
DEVOTIONIS
Ad Salvatorem Mundi.
à Sancto Damaso, Pontifice Maximo,
Primùm Stylô Ligatô,
EXCITATUS,
Nunc verò Solutô In orationum formulas paulò longius,
DEDUCTUS,
ac sub auspicijs
Illustrissimi & Excellmi DOMINI
D. ADAMI
Comitis *de Tęczyn & Czekarzewice*
TARŁO
PALATINI Lublinensis;
PRÆFECTI *Iaslensis, Drohobycensis, Złotoriensis, Zwolinensis, Dolinensis. &c.*
Pijs JESU CHRISTI Cultoribus,
OBLATUS.
Imprimis Tempore Communionis
Usui futurus
Cum Permissu Superiorum.

VARSAVIÆ
Typis S.R.M. *Scholarum Piarum Anno D.* 1736.

In Avitũ Vetuſtiſſimũ Domûs *ILLUSTRISSIMÆ DECUS.*



Aſcia Romanos olim præibat honores,
 Conſulibus ſummum conciliando Decus.
Nunc quoq; Sarmaticas implet ſignatque curules
 Quâ nil nobilius Lechicus Orbis habet.
Et præeat feſtis ad laticlavia pompis,
 Faſciculus magnis faſcibus omen erit.

DEDICATIO.

QUo majorē fructum in Pijs Christo excitē Cultoribus, Fasciculū hunc Devotionis Tibi offero. ILLUSTRISSIME & EXCELLENTISSIME DOMINE. Meritò ad manus Tuas repono ejusmodi precationes, quas Tu pridem affectuoso erga Deum in pectore, propenso erga

Cœlos in animo conclusisti. Nec enim Te publica circa universale bonum Regni negotia à singulari Officio distinent pietatis, æstus curarum pro Republica non extinguit devotionis ardorem, Illustrissimis Palatinatûs titulis serenatus in Te Honor virtutum non modò patitur lumina, sed adauget. Imò si hæc alibi longis inter se discernuntur intervallis, circa omne discrimen pariter in te corrivantur. Impendis vitam Patriæ, Cælo animam, totum Te immolas Superis, non dees Reipublicæ, quã estò integram posses ex æquo moderari. Non ignoramus Te immaturum annîs, sed adultum

virtu-

*virtutibus, maturrimum re-
ctegestis veneramur. Priscam
veterum Sarmatarum indo-
lem in Te demonstras, quem
non ut Ascanium Æneas &
Avunculus Hector excitant, sed
illi Gloriosissimæ Genesis Majores,
qui olim cum Lecho prima Po-
loniæ ponebant fundamenta, inter
Duodecem Palatinos non postre-
mi numerabantur. Debeant alij
originem Domûs suæ Regnis, &
Regibus, Lechia magna ex par-
te Tarłonibus prima sui ad-
scribit initia. Ad fulgorem
Gentilis Asciæ Polo propior re-
splendet Polonia, latebras quæ-
runt hostes, si hæc in Gradivi*

emicat Campo. Componant alia Illustrissima Prosapiarum Decora, ceu firmiores Columnæ basilicam ædem Rempublicam, Ascia hæc Architecta est laboris universi. Digna antiquitus in Ausonijs locari Adytis, nunc orthodoxo ritu per Ecclesias in tot Præsulibus coli, Senatorias per Curules circumferri. Ut & Tu Regiam Senatûs intrares, illa portam pandit. Necesse alios ante Purpuras canescere, Tibi ætas hæc favorabilem addidit calculum, in qua non pridem gloriosis pro Patria Functionibus, edecumata benegestorum praxi, non tam dierum quàm meritorum plenissimus Ne-

stor

ſtor apparuiſti. Quot pericula vitæ volupe Tibi erat ſubire, ut ſecura eſſet Patria, hæreditariæ ſortis pati diſpendia, ut Boni publici, fortuna maneret in integro, ſub explicatis in puro Iove tentoriis vigilias agere, ut aliquam Regno reduceres quietem. Ingeneratus heroico Tuo pectori belli ardor, adverſarios ignes longè exſuperavit, Tibi immortalem Nominis accendit famam. Audies futuris ætatibus ex illa magnanimitate, quæ in Scipiadis & Camillis deſideraretur, ex illa in Tribunalibus nuper demonſtrata Sententiarum gravitate, quam adhuc optaret Ariſtides,

ex illo

ex illo in Publicis Functionibus verborum pondere, quo Tullius hucusq; celebratur. Et jam Te hinc Amor Civium, quē tu præripuisti, hinc egregiarum qualitatum comitatus commendant plurimum. Palatinæ admotus Curuli brevi ascensurus majora subsellia, Ductor non pridem Copiarum, brevi Ducum Clavas manu prehensurus. Uberrimam ego procul dubio Devotionis messem spero aliỹs colligendam ex hoc Fasciculo, si illum primò Tuis manibus ingessero. Plurima hic videre est Salvatoris Nomina, tum ex dignitáte Dei Hominis, tum ex obligatione Creaturæ, quæ non una de ratio-

ratione refertur ad eundem. Ita quæ eminent, compellationibus etiam abundant. Idem pelagus totum alluit Orbem, tamen variè diversis in partibus nuncupatur. Sol unicus est, tamen semel â signis Zodiaci, alias ab Ortu, & Occasu sua derivat Nomina. Non carent mysterio quælibet Nomina sacris in literis Christo apposita, distinxi eadem in singulas Orationes; ut eò facilius devotus Lector ad vota sua inclinet Deum Hominem, quo frequentius eum appellaverit. Dum verò sub Auspicijs Tuis Salvatoris repono cultum, id perpetuum apud me votum est: ut Cœlos Tibi in-

bi inclines ad nutus, vitam ſi non immortalem ut Superi, diuturnam ſaltem ducas; præludat autem hic Faſciculus, Maximis Honorum Faſcibus.

Quod precatur

JLLUSTRISSIMÆ ET EXCELLENTISSIMÆ DOMINATIONI VESTRÆ.

Servus Devinctiſſimus
Carolus Poſadowſki *de Habdanck.*

DE COGNOMENTIS SALVATORIS
à Sancto Damaso, in versus coactis.

SPes, Via, Vita, Salus, Ratio Sapientia Lumen,
Judex, Porta, Gigas, Rex, Gemma, Propheta, Sacerdos.
Messias, Zebaoth, Rabbi, Sponsus, Mediator.
Virga, Columna, Manus, Petra, Filius, Emanuelq́;
Vinea, Pastor, Ovis, Pax, Radix. Vitis, Oliva,
Fons,

Fons, Paries, Agnus, Vitulus, Leo, Propitiator, Verbum, Homo, Rete, Lapis, Domus, Omnia Christus, JESUS.

Vide Bibliothecæ magnæ veterum Patrum & antiquorum Ecclesiasticorum scriptorum Thomum quartum, qui continet scriptores sæculi quarti id est ab anno Christi Trecentesimo usq; ad Quadringentesimū Editionis Colonensis. 1618.

S. Hie-

S. Hieronimus, in Cathalogo Scriptorum Ecclesiasticorum.

Damasus Romanæ Urbis Episcopus in versibus componendis ingenium habuit, multaq; & brevia metro edidit & prope Octogenariis sub Theodosio Principe mortuus est.

Ad LECTOREM.

Paucis Te monitum velim Pie lector, preces hoc libello contentas si non majori, magna saltē ex parte desumptas esse ex verbis SacræScripturæ, quæ Spiritus & vita sunt; ut vel hnic dum eas peragis, ad majorē fiduciā animeris, Qui enim Orationē suā ad Deū ex ipso Dei verbo instituit, linguâ utitur magisDeo Familiari & accepta. Hæc quidē mundi sapientibus est ignota, & in verbis etiā quibusdā videtur barbara; sed Christianorum sapientia est de Porticu Salomonis, agit S. Hieronymus, nō de Rostris Tullij, cui hoc ipsum nomen Salvator, ut de alijs S. Scripturæ verbis taceā barbarū videtur fuisse; hinc judicabat oratione quarta actionis secundæ in Verrē eum, qui salutem dedit, uno latino nomine non posse cxprimi, & Soterē ex Græco idiomate nominavit. Sed his parùm moramur: cùm ad finem nostrū maximé serviant illi sensus, & verba, quæ S. Scripturæ & Ecclesiæ usitata sunt, & magis orantium animos ad Pietatem, & profectum S. Spiritus possunt excitare: id quod futurum spero & desidero.

SPES.

SAlvator mundi! fons omnis gratiæ, & salutis, in Te confidit anima mea: Es enim auxiliator meus potentissimus, & fidelissimus remunerator, tam bonus insuper & misericors: ut non solùm omnia bona tua; sed Te ipsum etiam mihi promittas; Et ideo es hæreditas mihi præclara, & merces mea magna nimis, quam

certiſſimè ſpero, confiſus tuis promiſſis, meritis, & gratijs. Et in hac confidentia accedo ad thronum Clementiæ Tuæ & proſterno coram te preces meas, non in iuſtificationibus meis; ſed in miſerationibus tuis multis. Fateor quidem, propter malitiam, & ingratitudinem meam pœnâ ſum dignior, quàm beneficiô; Spero nihilominus omnium peccatorũ meorum veniam, auxilium gratiæ tuæ usq; ad finem, & vitam æternam; & hanc præſertim, quoties ad communionem accedo, ſecundùm promiſſionem tuam Joan. 6. Qui manducat

hunc panem, vivet in æternũ. Reposita est hæc spes in sinu meo. Fiat quæso panis ille divinus pingvis refectio spiritûs mei; antidotum, quô præserver á malis, nutrimentum, quô crescam in bonis, robur & vigor, gaudium & solatium cordis mei, & in morte viaticũ meum: cum illo enim velut certissimo pignore salutis meæ coram te judice meo comparere desidero. Pudet interim & pœnitet, non habuisse me eam spem & fiduciã, quam tua bonitas mi JESU! meretur, & egestas mea postulat. Tu es, & manebis spes maxima sa-

lutis meæ: nullus enim ſperavit in Domino, & confuſus eſt. Proinde & ego ſpero me nunquam à te mi Deus deſerendũ eſſe. Hanc ſpem meam, bone JESU! conſerva in proſperis, excita in adverſis, auge in precibus, in agone corrobora, & poſt mortem corona. Amen.

V I A.

DOmine JESU Chriſte! Via, veritas, & vita noſtra, qui tot hominum millia in deſerto reficere dignatus es, ne deficerent in via; Et nos ſæpe in viâ peregrinationis noſtræ deficimus. Sit igitur panis ille cæleſtis, quem in communione ac-

ne accipimus, robur animæ, noſtræ: ut in fortitudine cibi illius ambulemus usq; ad montem Sion. Erravimus â via veritatis, & juſtitiæ; ſed reduxiſti nos, ô JESU! in viam ſalutis æternæ; imò ipſe factus es nobis via ad omnem juſtitiã; ad cælum, & Patrem tuum, ut ais Joan. 4. Nemo venit ad patrẽ niſi per me. Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me: Sequi enim illas deſidero, & tenere, JESU bone! & te magis viam ſalutis meæ infallibilem, & maximè ſecuram. Perfice pedes meos tanquam cervorum; nè deficiam.

am. Dirige in conſpectu tuo viam meam; ut non declinem neq; ad dextram, neq́; ad ſiniſtram. Prohibe pedes meos à lata & ſpatioſa via, quæ ducit ad perditionem. Opus mihi profectò eſt efficaci auxilio gratiæ tuæ, ut cohibeam ſenſus meos, teneamq́; arctam viam, quæ ducit ad vitam. Amor tui mi JESU, reddat illam mihi facilem; & ne labores, & cruces impedimento mihi ſint; dilata cor meum: ut currere poſſim viam mandatorum tuorũ. Deniq́; ut omnes in viam ſalutis rectam ducamur; illuminare his, qui in tenebris & in umbra

umbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.

VITA.

SAlvator mundi, tu fons es omnis vitæ, tam in plantis, arboribus, & brutis, quàm hominibus, & Angelis. Imò nulla eſt creatura, quæ in te velut ſuo veriſſimo exemplari non vivat. Quod factum eſt, in ipſo vita erat. Et modò omnes in te ipſo vivimus, movemur, & ſumus. Tuo beneficio usq; huc vita noſtra fovetur, & nutritur corporalibus, & ſpiritualibus alimentis. Quot hominum millia temporali, & æterna

nâ morte perierunt; Tibi ô JESU! ex integro debemus; quòd præſervati ſimus, & in hac mortali vita in ſpem vitæ immortalis conſervemur. Mortem quidem meriti ſumus: miſericordiam nihilominus & vitam á te ſperamus: Non enim vis mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat, vitâ ſcilicet ſupernaturali, quam niſi per te ô JESU! habere non poſſumus. O quantas tibi gratias debeo; quòd homo fieri, & nobiscũ in terra vivere volueris: ut vitam nobis cæleſtem, & divinam donares; Imò mori dignatus es: ut æternum viveremus.

mus. Verè dignus eſt morte, qui tibi ô JESU! recuſat vivere. Utinam ego ſic mihi moriar; ut totus tibi vivam, & cum Apoſtolo poſſim dicere: vivo ego jam non ego, vivit verò in me Chriſtus. Verba tua ſunt mi JESU! qui manducat me, vivet propter me. Proinde ſacræ communionis beneficio me in te converti deſidero, ut vivam propter te. Tu es panis ille vivus, qui de cælo deſcendit; ſi quis manducaverit ex hoc pane, non morietur in æternum. Verba tua ſpiritus, & vita ſunt, vivifica me ſecundùm verbum tuum. Vivit adhuc in me ve-

tus homo cum concupiſcentijs ſuis; Quare tuum imploro auxilium; ut peccatis mortuus juſtitiæ vivam. Cogitationes meas ſemper animet, & dirigat memoria tui mi JESU! intellectum da mihi, & vivam; voluntatem meam ſpiritus tuus bonus ſemper poſſideat, & in vitam æternam cuſtodiat.

S A L U S.

O JESU! Salus vita, & reſurrectio noſtra. Tibi uni, & ſoli omnes homines debent ſalutem ſuã. Fuerunt multi olim ſalvatores certarum tantùmmodò regionum ad tempus aliquod. Tu Salvator es orbis uni-

universi perpetuus. Hanc gloriam tibi soli vendicas Isaiæ c. 43. Ego sum, Ego sum Dominus, & non est absq; me Salvator; nec esse poterat, qui humanum genus perditũ suo merito salvaret. Quare veniat super nos misericordia tua Domine, salutare tuum secundùm eloquium tuum. Salva nos propter nomẽ tuum: Omnis enim qui invocaverit Nomen Domini, salvus erit. Quanto magis igitur, qui ipsum fontem omnis salutis in se receperit. Proinde instanter, & humiliter te rogo mi JESU! ut dum cor meum sub specie panis sub-

intras

intras, ſalus domui meæ fiat; nec ſolùm filius Abrahæ; ſed & filius Dei fiam: dediſti enim recipientibus te poteſtatem filios Dei fieri. Recepi nunc te, mi JESU! fontem omnis benedictionis in domũ cordis mei. Dic modò animæ meæ, ſalus tua ego ſum; & dicam ego, Ecce! Deus ſalvator meus, fiducialiter agam, & non timebo. Eſto adjutor, & protector cõtra omnes hoſtes ſalutis meæ: quia non eſt, qui tuæ poſſit reſiſtere voluntati, ſi decreveris ſalvare Iſrael. Libera me Domine, & redime me à peccatis hominũ: quia longè á peccatoribus

ribus ſalus. In te exultare ſpiritum meum cupio, ſalutare vultûs mei, & Deus meus: nec me ſolum; ſed alios etiam ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Quare Lumē gratiæ, & fidei infunde cordibus noſtris, infuſum auge, auctum conſerva; ut cognoſcamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus ſalutare tuū: ut æternæ tandem ſalutis participes effecti cum ſanctis in cælo cantemus; Salus, & gloria, & virtus Deo noſtro in ſæcula ſæculorum.

AMEN.

RATIO.

DOmine JESU Christe! tu splendor es paternæ gloriæ, & figura substantiæ ejus, idæa, & exemplar omnium, quæ fieri possunt, Prima, & sũma ratio universi, in numero, pondere & mensura à divina providentia dispositi, omnium rationabilium causarum principium, medium, & finis, ex te ipso, per te ipsum, in te ipso est DEO Patri Omnipotenti omnis honor & gloria. Summas tibi gratias ago pro lumine vultûs tui, quod signatum est super nos, & quòd ejus usum, quo alij homines non pauci ca-

ci carent, mihi concesseris. Da mihi quæso Domine! rationē semper conformem judicio, & voluntati tuæ. Norma actionum mearum sit lex tua Domine, ut in me omnia honestè, & secundùm ordinem fiant. Non tradas me pravis concupiscentijs meis: ne fiam sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus. Sit ratio, quā dedisti mihi, docibilis, subjecta tibi, & Ecclesiæ tuæ. Ego certè libens in captivitatem redigo omnem intellectum meum ô JESU! credens humiliter, & simpliciter, quæ ratio mea non potest capere: Mysterium scilicet

licet SS. Trinitatis. Incarnationis & Euchariſtiæ, quâ me indignum toties reficere dignatus es. Et imprimis quidẽ te in Euchariſtia verè præſentem eſſe. Nec ut hoc credam, pignus exigo, uti judæus miracula, nec ut Græcus rationes, quibus hoc mihi perſvadeam. Credo, quod neſcio, benè habet, ſtultus fiam, ut ſim ſapiens. Nolo intelligere; ut credam; ne meritũ perdam; quid quid intellectus reluctetur, hæc eſt victoria, fides noſtra. Solum mihi ſufficit ô JESU! quòd dixeris te in Euchariſtia præſentem eſſe. In obſequium il-

lius

lius fidei ſubijcio infinitæ veracitati, & ſapientiæ tuæ omnem rationem meam, humiliter rogans, ut per illuminationem vultûs tui præſerves me à prudentia filiorum Agar, quæ de terra eſt, dones verò gratiam tuam, cujus beneficio prudentes ſimus, ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ, habentes fructum in ſanctificationem, finem verò, vitam æternam.

SAPIENTIA.

O Sapientia! quæ ex ore altiſſimi prodijſti, veni ad docendum nos viam prudentiæ: ut omnia, & ſingula ſecundùm

meritum ſuum ſciamus æſtimare, & diligere, Aperi oculos meos ô JESU! qui illuminas abſcondita tenebrarum: ut agnoſcam, quæ & qualis ſit Sapientiá tua; quám ſit ſpecioſa, & amabilis ſponſa: ut totus cũ Salomone in amorem ejus exardeſcam. Cor mundum crea in me Deus, & carnem meam ab omni immunditie libera, & præſerva: quia in malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Sed quæ hæc bonitas, & humilitas tua, ô Divina Sapientia! quòd etiám in viſibili forma dignata ſis in terris

terris apparere, conversari nobiscum, & delicias tuas habere cum filijs hominũ, ô si mihi liceret velut catello vel micas colligere; quæ cadunt de mensa illa, quã proponis Proverb. 9. addens: Si quis est parvulus, veniat ad me. Da quæso mi JESU cum fructu, & gustu semper manducare panem, & bibere vinum illud, quod in Epulo Eucharistico stupendâ nimis charitate nobis offers. Ciba nos pane vitæ, & intellectûs, & aquâ Sapientiæ salutaris pota nos, qui factus es nobis sapientiâ à Deo, & justitia, & sanctificatio & redem-

ptio. Da in ſapientia, ætate, & gratia ſemper proficere: ut aliquando in templo gloriæ tuæ arcana, & mirabilia infinitæ Sapientiæ tuæ intueri nobis liceat, & prædicare.

LVMEN.

SAlvator mundi, tu es Chriſtus filius Dei vivi, Deus de Deo, lumen de lumine. Tu candor es lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius. Tu lumen es ad revelationem gentium & gloriam plebis tuæ Iſrael. Quidquid in cælo, & in terra lucis, & ſplen doris eſt, ex te ſuam trahit ori-

ginem

ginem. Omnes ſolis, & lunæ radij in te fontem omnis luminis cum ſumma laude, & gratiarum actione debent reflecti. Totus ſtellarum exercitus luceat tibi cũ jucunditate, enarrans gloriam tuam, & unà mecum nomini Tuo in æternum benedicat; quòd mundũ hunc univerſum luce ſiderum tam beneficâ ſic pergas conſtanter recreare. Imprimis veró ſummas tibi gratias rependo, JESU bone pro ſupernaturali illo lumine, quod è ſummo cælorum deferre dignatus es in mũdum hunc ingratum, qui tenebras magis, quàm lucẽ tuam di-

am diligit. Aufer quæſo à cordibus noſtris omnes ignorantiæ, & malitiæ tenebras: ut tanquam filij lucis ambulemus: fructus autem lucis eſt in omni bonitate, & juſtitia, veritate. O Sol juſtitiæ, qui ſub ſpeciebus Euchariſticis lates Deus verè abſconditus, adauge fidem meam, & illumina oculos meos; ne unquam obdormiam in morte. Erige cor meum per fiduciam, & excita ſpiritum meum: ut vitale lumen tuum in me non deficiat. Ardor charitatis tuæ renes meos adurat, & quidquid in me eſt caloris noxij, conſumat, ut in altari

cordis mei purus ignis divini amoris ſemper ardeat. Emitte lucem tuam, & veritatem tuam; ipſa nos deducent, & adducent, in montem ſanctum tuum, & intabernacula tua, ut cum ſanctis tuis omnibus in gaudio, quód nemo tollet à nobis, aliquando contẽplemur te, qui lucem habitas inacceſſibilem.

JUDEX.

CRedo, quod redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum ad judicium; hoc qui non credit, jam judicatus eſt. Crédo Domine, & credidi: quia venies

in Sanctis millibus tuis facere judiciū contra omnes, & reddere unicuiq; secundùm opera sua. Sed væ mihi Domine! quia peccavi nimis in vita mea. Non intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Rex tremendæ majestatis, qui salvandos salvas gratis, salva me fons pietatis, secundùm multitudinem miserationum tuarum nunc in tempore sic me libera à peccatis meis: ut nullam damnationis materiam in judicio relinquāt. Juste judex ultionis, donum fac remissionis, ante diem rationis.

tionis. Confige timore tuo carnes meas, ut ex horrore judiciorum tuorum ab illicitis se contineant. Quis te non timeat ô Christe! constitutus enim es à Deo judex vivorum & mortuorum: cum acceperis tempus, etiam justitias judicabis. Justitiæ meæ, sicut pannus menstruatæ. Peccata mea pavesco, & ante te erubesco. Parce Domine omnibus irreverentijs, & negligentijs meis in sacra communione commissis; ne permittas quæso, ut in judicium & condemnationem te recipiam, sed in salutē & vitam æternam. Quapropter

pter priùs me indue veſte nuptiali, & talibus virtutum ornamentis præpara, ut gratum ſemper hoſpitium in me invenias, præſertim in agone meo ut ſacro viatico præmunitus judicium tuum, ſubire non horream.

PORTA.

GRatiæ tibi ſint immortales Domine JESU Chriſte Reparator ſalutis humanæ! quòd ex hoc mundo ad Patrem vadens portam cœli tanto tempore nobis clauſam reſeraris. Contriviſti portas æreas, & vectes ferreos confregiſti, ut patres noſtros è limbo tecum

ad cælum duceres. Nunc porta illa semper nobis aperta manet; pro quo beneficio in laudem tuam Salvator mundi, invito beatas illas animas, quæ modò introiêrunt, & omnes cælestes spiritus: Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in idipsum: introite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis, confitemini illi. Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino, Redemptori meo; qui semetipsum vocare dignatus est ostium. Liceat mihi Domine JESU! saltem tempore communionis illud

lud introire. Fateor quidem me gratiâ illâ indignum esse, qui tibi ad ostium cordis pulsanti aperire neglexi, vel tardavi: dum ad bonas inspirationes tuas non attendi. Ne quæso me ideo prohibeas ab accessu, ut ingrediar, & egrediar, & pascua inveniam. Da mihí ingressum ad arcana Divinitatis tuæ: ut ea clariùs possim intelligere, & pleniùs admirari; egressum verò ad mysteria humanitatis tuæ non solum te redamando, sed etiam sequendo virtutes tuas. Ingressum da mihi: ut veritates fidei piè meditetur intellectus, &
volun-

voluntas diligat; egressum verò ut agendo, & patiendo propter te mi JESU! ostendam me verum esse discipulum tuum. Da mihi ingressum; ut præcipua mihi sit cura excolendi spiritum meum, & salutē meam in tuto collocandi; egressum verò in ædificationē proximorum; ut videant opera mea bona, & glorificent Patrem tuum qui in cælis est. O quàm pinguia, & delicata sunt pascua, quæ offers oviculis tuis in Eucharistiæ Sacramento: ex his sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea: ut cor meum, & caro mea exultent

tent in Deum vivum, cum certa ſpe, me portam cæli aliquãdo licet anguſtam intraturum. Tantùm adjuva me JESU bone! ut omnia ingreſsûs illius impedimenta abijciam, & in libertate ſpiritûs tibi ad mortem uſq; fideliter deſerviam.

G I G A S.

FOrtiſſime Deus ſpirituum univerſæ carnis, elevata eſt magnificentia tua ſuper cælos. Magnus es Domine, & magnitudinis tuæ non eſt finis. Cælum ſedes tua eſt, & terra ſcabellum pedum tuorum. Sub te curvantur, qui portant orbem: & tamen, quàm magnus es &

es, & ſublimis; humilia tamen reſpicis in cœlo, & in terra; alta verò à longè cognoſcis. Et ideo deteſtor omnem arrogantiam, & gigantum illorũ ſuperbiam, qui poſuerunt carnem brachium ſuum. Gigas non ſalvabitur in multitudine virtutis ſuæ, ait regius propheta, & cum eodem humilis eſſe cupio, & parvulus in oculis meis: ut à te Deo meo contra omnes hoſtes meos confortari merear, & defendi. Oculi Domini contemplantur univerſã terram & præbent fortitudinẽ his, qui perfecto corde credunt in eum. Fortitudo mea,

& laus mea Dominus, Dominus firmamentum meum, & robur meum, & refugium meum in tribulatione. In te Domine sperás non timebo, quid faciat mihi caro. Et hæc fiducia mea admodum augetur ex cibo illo, quo nos Domine JESU! recreas, & confortas in Eucharistiæ Sacramento; intra quod coarctas quodammodo immensam divinitatem tuam: ut te parvitati nostræ accommodes. Ego prosterno me profundissimè coram majestate tua infinita, & summas tibi gratias ago: quòd amore nostri ita te humilies: ut magnos

gnos nos facias. Utinam magnus essem in oculis tuis, magnus gratiâ & virtute! Tu nosti Domine, quam res angusta sit domi meæ. Gloria & divitiæ in domo ejus, quam tu benevolo cum affectu ingrederis, liceat & mihi hunc affectum experiri, & benedictionum tuarum participem fieri. Abyssus infirmitatis meæ abyssum invocat Omnipotentiæ tuæ. Timeo mihi à gigante tartareo. Libera me ab nisidijs ejus, & contere satanam sub pedibus nostris, ut in nomine tuo victores fiamus, & in cælis æternum aliquandò gaudeamus.

REX.

PAter misericordiarum, & Deus totius consolationis, beatus, & solus potens. Confiteantur nomini tuo omnes reges terræ, cum omni populo, tribu & natione: quia eripuisti nos de potestate tenebrarum & transtulisti in regnum filij dilectionis tuæ. Te pariter Domine Jesu! qui Rex potens es & metuendus nimis, agnosco Conditorē, & rectorē cæli & terræ. Dominus universorum tu es, constitutus Rex à Deo Patre super Sion montem sanctum ejus; & in femore tuo scriptum habes: Rex regum, & Dominus domi-

dominantiũ. Per te reges regnant & legum conditores jura decernunt. Divinam majestatem tuam omni, quâ possum, submissione colo, veneror, adoro. Quis te non timebit Rex gentium? qui deponis potentes de sede, & exaltas humiles. Quis pariter non amet te? qui servos tuos facis cohæredes regni tui; & ut hanc hæreditatem aliquando adeamus; non regnet peccatum in nostro mortali corpore, ut obediamus concupiscentijs eius. Mortifica Domine Iesu! omnes inordinatos motus, dominare in medio inimicorum tuorum, passionum

mearum: ut intra me, & in medio cordis mei ſit & maneat regnum Dei; hoc eſt juſtitia, & pax, & gaudium in ſpiritu ſancto. Adveniat nobis etiam regnum tuum cæleſte, & quidem beneficio regalis convivij, in quo cibo, & potu regio, hoc eſt carne, & ſangvine tuo reficimur. Virtus illius convivij me totum ſanctificet, ut legem regalem perficiam ſive charitatem proximi obſervem, & ut miniſtrum decet regis æterni, bona mundi temporalia parvi faciam, quæ ſurſum ſunt, quæram; quæ ſurſum ſunt, ſapiam. O vos aulæ cæleſtis proceres

Re-

Regem, cui omnia vivunt, veni-
te adoremus, & ab eodem illam
nobis gratiam exorate, ut vo-
biſcũ aliquando in cælis æter-
num cantare mereamur: Regi
ſæculorum immortali, & inviſi-
bili ſoli DEO ¦honor & gloria.

GEMMA.

O JESU! quàm ſpecioſus for
ma es præ filijs hominum!
tui intuitu nihil ſunt flores,
ſtellæ, & omnes lapides preti-
oſi. Nulla te, in cælo; & in
terra nobilior gēma eſt. Splen-
dore tuo delectantur angeli,
rapiuntur homines, dæmones
excæcantur. Omne aurum in
comparatione tui arena eſt exi-

gua, & tanquam lutum æstimatur argentum in conspectu Tui. Tu es una illa pretiosa margarita evangelica, præ cunctis mundi opibus emenda. O quàm doleo mi JESU! te passim ab hominibus ita vilipendi. Aperi Pater luminum oculos cordis nostri; ut cognoscamus, quæ & quanta bona habeamus in unico Filio tuo; quàm pretiosa generis humani gemma sit JESUS Christus: ut illa nascantur in corde nostro per fidem, augeatur per spem, & per charitatem solidescat. Æstiment trapezitæ lapillos suos, quantum velint, tu ô JESV!

SV! eris mihi gazis mundi o-
mnibus pretioſior. Fulgore
tuo non exteriùs, ſed interiùs
ſplendere deſidero, ac memo-
riam meam recordatione tui
ſuaviſſima illuſtrari. Eſto rati-
onale pectoris mei, tot gem-
mis diſtinctum, quod Evange-
lij veritatibus, à quibus omnem
lucem, & claritatem ſuam
intellectus meus mutuetur.
Eſto unicus, ac maximus the-
ſaurus cordis mei, à quo omne
decus ſuum, ac pretium affe-
ctus voluntatis meæ accipiant;
tunc præſertim, quando in ſa-
cra communione te recipio;
tunc inquam velis mihi com-

municare fructus illos ſpirituales; quos dare ſoles electisTuis. Tunc liceat mihi inæſtimabilis theſauri gaudium, & ſolatium in ſpiritu percipere: ut cum ſponſa poſſim dicere: inveni, quem diligit anima mea tenui eum, nec dimittã. Vbi eſt theſaurus meus, ibi erit & cor meum. Et ideo mi JESU! eris ſignaculum cordis mei; ut in me viva tui imago talem amoris affectum imprimat, ut me tibi indiſſolubili vinculo conjungat. Eris ſignaculum ſuper brachium meum: quia ad mortem uſq; quæ ſunt officij mei, amore tui deſidero operari.

PRO-

PROPHETA.

DOmine Jesu Chriſte, credo te regem eſſe Prophetarum omnium. Tu ſenſus arcanos futurorum olim inſpirâſti videntibus, tu ora eorum aperuiſti; imò ipſe te in prophetis prædicaſti. Hinc teſtimonium Jesu eſt ſpiritus prophetiæ, quem, uti veneror, & amo, ita ſalutarem mihi fore confido, ſummas tibi gratias referens, ſummas laudes, & benedictiones: quòd in certa & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtâris nobis, & myſteria regni tui revelaveris. In te fideles inventi prophetæ, & teſtimo-

ſtimonia eorum credibilia fa-
cta ſunt nimis. In te inſtaurata,
& recapitulata ſunt in diſpen-
ſatione plenitudinis temporũ,
quæ in figuris teſtamenti vete.
ris contigerunt. Tibi omnes
Prophetæ teſtimonium perhi-
bent, & Prophetias eorum im-
pletas eſſe totum clamat Evã-
gelium: in quo hæc etiã con-
tinetur prophetia: qui mandu-
cat hunc panem, vivet in æter-
num. Hanc ego certo certiùs
implendam credo, & ſpero
cælum & terra peribunt, ver-
ba autem tua non præteribunt,
cum prorſus ſit impoſſibile, te
promiſſis non ſtaturum, modò
ex par-

ex parte mea defectus non fu-
erit. Proinde rogo te mi JE-
SV! ut sucurras infirmitati meæ
& defectũ meũ suppleas. Of-
fero tibi desideriũ cordis mei
ita te in communione suscipi-
endi, sicut decet & opportet;
ut perficiantur in me, quæ di-
cta & promissa sunt mihi à
Domino. Præterea uti firmi-
ter teneo, quæ de adventu tuo
primo ô JESU! scripturæ asse-
runt impleta esse; ita indubi-
tanter credo, quæ de adventu
tuo secundo, de universali ju-
dicio, & resurrectione mortu-
orum, eædem scripturæ præ-
dicunt, implenda esse. Jota u-
num

num, aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Interim adauge nobis fidem, & dona talem vitam temporalem, quæ nobis prophetet æternam.

SACERDOS.

SAlvator mundi! tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech: quæ enim in figura habuit, & fecit Rex ille, & ſacerdos; tibi in veritate conveniunt. Tu verus es Melchisedech, id eſt, Rex juſtitiæ, imò ipſa juſtitia. Rex Salem, quod eſt Rex pacis imò pax noſtra. Tibi ſumma convenit benedicendi poteſtas

Quare benedictus Deus, & Pater Domini nostri JESU Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo. Tu solus es, qui sempiternum sustines sacerdotium; unde & salvare in perpetuum potes accedentes per temetipsum ad Deum. Tu deniq; panem, & vinum; hoc est corpus, & sangvinem tuum Deo Patri obtulisti sacerdos, & sacrificium simul, omnibus veteris testamenti victimis, hostijs, & holocaustis infinitè præstantius, in te perficiens, & consummans, quidquid fuit legalis olim sacrificij. Esto igi-

tur ſacrificium noſtrum latreuticum: Nihil enim Deo Patri tuo excellentiùs offerre poſſumus; nihil acceptius, quàm te Filium ejus unigenitum, in teſtimonium divinæ excellentiæ & Omnipotentiæ; in proteſtationem ſupremi dominij in omnes creaturas, abſolutique imperij in vitam, & mortem. Eſto ſacrificium noſtrum Eucharisticũ. Nos impares prorſus ſumus referendis gratijs. Tu ſolus nobis in eundem finem ſufficis in miſſæ ſacrificio, quare in eodem te omni, quo fieri poteſt, amoris & gratitudinis affectu offerri cupimus

æterno Patri tuo; te inquam
fontem bonorum omnium; ut
non obſtante noſtrâ malitiâ,
beneficè in ſalutem noſtram
fluere non deſinas. Eſto ſacri-
ficium noſtrum propitiatoriū
cum omnibus tuis lachrymis,
laboribus, opprobrijs, & ſan-
gvinis effuſionibus, valoris &
pretij infiniti, in hoſtiam pla-
cationis digniſſimam, & ſuffi-
cientiſſimum pro meis, & to-
tius mundi peccatis. Eſto de-
niq; ſacrificium noſtrum im-
petratorium: ut per omnia vi-
tæ, paſſionis, & mortis tuæ
merita peccatoribus venia, in-
fidelibus, & hæreticis conver-

ſionis gratia, juſtis perſeverantia, defunctis indulgentia cõcedatur. Amen.

MESSIAS.

O JESU Fili Mariæ Virginis Tu verus es ille patribus in lege veteri promiſſus Meſſias, qui in hunc mundum veniſti, nec alium expectamus. Tu verus es Meſſias à Deo Patre nobis miſſus, tanquam legatus annuncians redemptionem copioſam. Ego firmiſſimè credo, omnia impleta eſſe, quæ in lege, pſalmis, & prophetis dicta ſunt de primo adventu tuo. Fuit quidem ille humilis, & deſpectus, ita, ut judæis ſcandalũ

fuerit

fuerit, gentibus autem ſtultitia; ſed abſit Domine JESU! ut mihi ſcandalo ſit humilitas, paupertas, & paſſio tua, ſed potiùs ſtimulo ad majorem amorem tui, & imitationem. Credo enim certiſſimè, quia oportuit Chriſtum pati & ita intrare in gloriam ſuam, quam & ego ſpero tuis ó Meſſia! meritis omnino confiſus; ut hic communicantes paſſionibus tuis, in revelatione gloriæ tuæ poſt hanc vitam gaudeamus exultantes. Gratias quoq; maximas tibi ago: quòd nos miſeros Adæ filios à ſpirituali perditione, & æterna ſervitute dæmonis,

monis, & peccati liberaveris. Frustra aliam liberationem expectant judæi: quorum tamen misereri velis; ut, quæ supersunt reliquiæ Israel, unà cum gentilibus & hæreticis salventur, & fiat unum ovile, & unus pastor. Nos autem populus tuus, & oves pascuæ tuæ exultamus in domino: quia invenimus Messiam, quòd interpretatur Christus, spe gaudentes, fore nos participes salutiferæ unctionis. Lampas mea Domine JESU nec munda, nec ornata, nec sufficienti oleo instructa est. Proinde cum ani ma mea desideret esse inter pru-

prudentes virgines, munda eã à cunctis sordibus peccatorum, & gratiarum tuarum cimelijs exorna; tunc præsertim, quando obviam eundem est sponso venienti Eucharistico: ut oleo benedictionum tuarum repleri merear, & liberari aliquando ab auditione mala fatalis illius: nescio vos. Quare gratia tua Domine JESU me præveniat, & concomitetur, lumbos meos præcingat, & lucernas ardentes in manibus meis teneat, & conservet, itaque me præparet; ut, cum veneris, me vigilantem invenias.

SABAOTH.

SAlvator mundi! Deus exercituum in cælo; & in terra terribilis, & potens nimis. Tota cælorum militia eſt ad nutum tuum, ut caſtrorum acies ordinata. Stellæ omnes tuo moventur, gyrantur, oriuntur, & occidunt imperio, paratæ in ultionem inimicorum tuorum. Quis te non timeat mi Deus, tecum pugnabit ipſe orbis terrarum contra inſenſatos, inter quos ego miſer peccator nunc, cum dies ſalutis ſunt, tibi humiliter ſupplico mi JESU & præoccupo faciem tuam in confeſſione iniquitatis meæ: ut mi-

ut miserearis mei, & proijcias post tergum tuum omnia peccata mea. Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me;& hujus mensæ beneficio non solum spero auxilium gratiæ tuæ; sed etiã salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium, qui oderunt nos. Quàm terribilis præterea ô Deus Sabaoth est Angelorũ tuorũ exercitus! quã potens & numerosus millia milliũ, & decies millies centena millia assistunt tibi. In conspectu horũ Angelorũ omniũ psallã tibi Deus Sabaoth! adorabo ad Tẽplũ Sanctũ tuũ, & cõfitebor nomini

tuo. Summas quoq; gratias tibi ago, quod eosdem feceris administratorios spiritus: ut nobis hic militantibus adessent. Est nobis colluctatio adversus principes, & potestas. Adjuva nos Deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui succurre nobis: ut instructi armaturâ Dei possimus resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. Conforta nos etiam, nō deficiamus in pugna pane Eucharistico: ut quoties eodem vescimur, novas vires contra spiritualia nequitiæ in cælestibus acquiramus. Instrue nos & corrobora spirituali armatu-

maturâ; atq; ita militemus militiam bonam, habentes, fidem, & bonam conſcientiam cum certa ſpe, repoſitam nobis eſſe coronam juſtitiæ, quã reddet nobis Deus, juſtus Judex. Amen.

RABBI.

DOmine JESU Chriſte! ſcimus, quia à Deo veniſti magiſter. Beatus, quẽ tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Loquere igitur mihi Domine; quia audit ſervus tuus, viam juſtificationum tuarum inſtrue me. Servus tuus ſum ego, da mihi intellectũ ut ſciam teſtimonia tua. Boni-

tatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me: quia mandatis tuis credidi. O Rabboni ſuaviſſime! ad quem aliũ ibimus, quàm ad te; Verba vitæ æternæ habes, & nos credimus, & cognovimus, quia tu es Chriſtus Filius Dei, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei abſconditi. Summæ tibi ſint laudes, & benedictiones pro ſacris tuis inſtructionibus, monitis, & parabolis; pro laboribus & moleſtijs, in prædicando nobis Evangelio toleratis. Specialiter tamẽ humilitatem nos docere voluiſti exemplo magis, quàm verbo,

bo, quando te abjecisti ad pedes discipulorum tuorum abluendos. Dona nobis hanc gratiam; ut mundo semper, ac humili corde ad sacram Mensā tuam accedamus, in fractione istius panis illuminemur, & ad amorem tui magis accendamur. O Rabboni! suscipe me quæso inter discipulos tuos, quorū insigne est mutua charitas. Simplex, & rectus corde esse desidero: quia cum simplicibus est sermocinatio tua, & intellectum das parvulis. Nolo scientiam quæ inflet, sed magis charitatem, quæ ædificet. Opto magis sentire compun-

ctio-

ctionem, quàm scire ejus definitionem. In minerval me ipsum tibi offero malum, rudē, imperfectum; redde me mihi bonum, legis tuæ peritum, & perfectum. Serva nos denique Magister bone, in vera Evangelij tui doctrina, ut non simus parvuli fluctuantes: & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum. Libera nos etiā ab inordinato multa sciendi desiderio; nôsse enim te consummata justitia est, & scire justitiam, & virtutem tuam, radix est immortalitatis.

SPON-

SPONSUS.

SAlvator mundi! Sponſus ſãgvinum tu mihi es: vix enim in hunc mundum natus eras è Matre Virgine, velut ſponſus egreſſus è thalamo ſuo, ſangvinem fudiſti in circumciſione, ut te Filium Abrahæ eſſe oſtenderes, nobis verò humilitatem & obedientiam commendares. Utramq; hanc virtutem ad ſalutem neceſſariam, donari à te mihi humillime flagito. Sed quos labores mi JESU! ſubijſti in gratiam ſponſæ Eccleſiæ tuæ imò in mortẽ temetipſum tradidiſti, ut illam ſanctificares, mundans eam lavacro aquæ, in

verbo vitæ, & exhiberes tibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam. Quòd autem me hujus Ecclesiæ tuæ membrum esse volueris & usq; huc conservâris, immortales tibi gratias, & laudes in æternum à fidelibus tuis omnibus referri desidero; unum insuper petens: ut tibi, & Ecclesiæ tuæ semper in fide, spe, & charitate conjunctus vivam, & moriar. Sed quis ego sum Domine! ut sponsus esse desideres animæ meæ? Ad pedes tuos me projicio; quamvis dignus non sim, solvere corrigiam calceamenti tui. Quid est,

quod

quod adeò magnificas me, aut quid apponis erga me cor tuum: ut mecum cupias desponsari; O Domine, ego servus tuus, ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ. Anima mea, quam facere dignaris sociam mensæ, sociam regni, & thalami tui, in æternum vivet tibi, & serviet. Unum doleo, cum Sponsus sis pulcherrimus, tam fœdam esse animam meam. O si ornata esset donis & gratijs tuis, & coram te appareret in vestitu deaurato circumdata varietate, ut invenire posset gratiam in oculis tuis Domine: ante te omne desiderium meũ; & gemitus

mitus meus non eſt abſconditus. Scio etiam Domine quia Sponſus es zelotypus. Perdidiſti omnes, qui fornicantur abs te. Quare cor meum gratiâ tuâ peto ſtabiliri. Et quia vis ſpōſas habere vigiles, & paratas, ſit anima mea per ſingulare auxilium gratiæ tuæ virgo, fide & moribus integra, ornata lāpade, & oleo ſemper inſtructa: ut cum veneris, parata ad cœleſtes nuptias tecum mereatur introire.

MEDIATOR.

CRedo Domine: quia unus Deus, unus & Mediator Dei, & hominum homo Chriſtus

ſtus JEZUS, qui dedit redemptionem ſemet ipſum pro omnibus; & quidem medio tam ſtupendo, ut Deus homo fieret, & homo Deus: Sola enim natura divina pati non poterat, nec humana ſola condigne ſatisfacere. Proinde perſona tua ô Chriſte! mediatrix extitit, divinis humana ſocians, ima ſummis. Ego certè ſummum illud & ineffabile Sacramentum Dominicæ Incarnationis ſummoperè veneror & adoro, divinam in illo ſapientiam & potentiã ſuſpicio; revereor juſtitiam; bonitatem tuam, & miſericordiam infinitam amo, & amari ab

omnibus, & deprædicari æternùm cupio. Hoc medio duos populos, gentiles & hebræos in pace conjunxisti, fecisti utraque unum medium parietem macerię solvens: ut duos conderes in temetipso in unũ novum hominem, faciens pacem, & reconcilians ambos in uno corpore, Deo per crucem. Peto proinde à te mi Iesu! ut per te Deo Patri simus, & maneamus semper reconciliati: & nos invicem sicut membra unius corporis diligamus, habentes pacem ad omnes; & hanc mutuam charitatem per Eucharistiam, quæ Sacramentum est unita-

unitatis, in me, & in alijs ita foveri, & confirmari desidero: ut secluso omni mundano, & carnali amore diligamus nos invicem, sicut tu dilexisti nos, Simul etiam summas tibi gratias ago, quòd jam moriturus duos inter latrones salutem nostram in medio terræ operatus sis, novi Testamenti Mediator existens, ut morte tuâ intercedente repromissionem acciperent, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis, cujus & nos velis participes facere, & certiores reddere, quoties ejus arrham sive sacram communionem recipimus: ut te Mediatorem no-

ſtrum fuiſſe in terris, æternum gaudeamus in cælis.

VIRGA.

DOmine JESU Chriſte! de te impleta eſt Balaami prophetia: Conſurget Virga de Iſrael, & percutiet duces Moab. Virga longè excellentior & mirabilior, quàm Virga Moyſis. Hæc Judæos liberavit per tranſitum maris rubri, à ſervitute Ægipti, & in deſerto juvit ad terram promiſſionis. Sed ubi Virgam virtutis ſuæ emiſit Dominus ex Sion, ſive Pater Filium ſuum in hunc mundum, à tyrannide, & ſervitute dæmonis liberati ſumus, & via nobis omni-

omnibus per mare rubrum Dominicæ Passionis ad cælum est patefacta. Et hanc Virgam nō in arca veteris, sed novi testamenti repositam servamus, & veneramur dum te ô Christe Iesu! in Venerabili Sacramento colimus & adoramus. Esto nobis Virga semper florida, & fructifera. Virga directionis, Virga regni tui. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: ita, ut non solùm justus sis, & rectum judicium tuum; sed ipsa rectitudo, justitia, & æquitas. Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas. Illis est difformis voluntas

noſtra, tu illam corrige; & cum diſtorta ſit, legi tuæ conforma: nam lex tua æquitas. Corrigat quoque errantem gradum meum Virga diſciplinæ tuæ. Ne quæſo! parcas peccanti oviculæ: plus enim timeo dentes lupi, quàm Virgam paſtoris. E numero filiorum tuorum eſſe cupio, quos flagellas & recipis. Modò da patientiam, poſtea indulgentiam. Virga tua, & baculus tuus ipſa nos conſolentur: quia ſignum ſunt, quòd velut pater nos diligas, & æternæ hæreditati reſerves. Libera me à virga illa ferrera, quâ reprobos æternum punis; & timor

virgæ

virgæ hujus faciat me vigilantem, & ſolicitum ambulare in præceptis tuis, omnibus diebus vitæ meæ.

COLUMNA.

SAlvator Mundi! Tu Columna es Eccleſiæ tuæ rectiſſima ad omnem ſummæ perfectionis regulam efformata. Recti diligunt te. Tu pariter IESU bone! benefac bonis, & rectis corde, ut à norma juſtitiæ nunquam deflectant. Tu Columna es principalis, & nobiliſſima: Quid enim Divinitate tuâ excellentius? quid tuâ humanitate præſtantius? A te omnem decorem, prétium, & robur ſu-

um cætera Ecclesiæ fulcra mutuantur; pro quibus tuam depræcamur clementiam: ut in gratia, & charitate Dei confirmentur ad gloriam nominis tui & fidelium salutem. Tu Columna es firmissima. Aliæ columnæ, quæ nutantem sustentarunt Ecclesiam, tuo stetêre beneficio; vel si proprijs stare viribus conatæ sunt, turpiter ceciderunt. Per te est, & manet Ecclesia tua Columna, & firmamentum veritatis, nec portæ inferi prævalebunt adversus eam. Super arenam ædificat, qui confidit in alio, quàm in te Iesu Salvatore meo. Dominus firma-

firmamentum meum, & refugium meum, basis & columna mea, fortitudo mea, & laus mea Dominus. Olim Iudæos Columna nubis, & ignis per desertum duxit. Nobis fidelibus tuis ô Christe! tu ipse es Columna ignis quà Deus, & Columna nubis quà homo: obvelas enim Divinitatem humanitate tuâ; utramq; verò speciebus Eucharisticis: ut velut cæleste manna nobis esse possis in cibum solidum, quô roborare digneris intellectum nostrũ & confirmare voluntatem nostram: ut in servitio tuo immobiles reddamur. Quærunt me

infirmare, & deijcere inimici mei; ſed dona mihi contra eos pugnare fortiter, & feliciter: ut de relatis victorijs juges tibi gratias referre poſſim in templo gloriæ tuæ, & inter beatos ejus incolas aliquando merear numerari ſecundùm illud, quod promiſiſti Apocaly. c. 3. qui vicerit, faciam illum Columnam in templo Dei mei.

MANUS.

SAncta Trinitas unus Deus! adoro omnipotentiam, ſapientiam, & bonitatem tuam infinitam. Hi ſunt tres illi digiti, quibus appendis orbem terrarum, & conſervas. Imprimis

primis tamen immenſam vir-
tutem tuam revereor omnipo-
tens Pater, quia in magnitudi-
ne brachii tui condidiſti uni-
verſum tuum brachium cum
potentia, jure ait Propheta.
Sed quæ Manus tua, niſi Filius
tuus, omnia per ipſum facta
ſunt, ſine ipſo factum eſt nihil.
Ipſe eſt dextera tua, cæleſtis
Pater, de qua regius Vates:
Dextera Domini fecit virtutem
dextera Domini exaltavit nos,
& ſalvos nos fecit, mittens Spi-
ritum ſanctum, qui cœleſtium
gratiarum abundantia nos cu-
mulavit. Verè digitus Dei eſt
hic, ſcribens legem charitatis,
non

non in tabulis lapideis; ſed in tabulis cordis carnalibus. Quis mihi det, aureos characteres hujus digiti ut cordi meo ſẽper inſcriptos geram! Quærunt illos delere maligni ſpiritus. Sed quæſo Domine! experiantur virtutẽ brachij tui, dextera tua & brachium tuum, & illuminatio vultus tui ſufficiunt mihi Domine, & ego deſpiciam omnes inimicos meos. Sed peculiares gratias tibi debeo Salvator Mundi! non ſolùm, quia Manus tuæ fecerunt me, & plaſmaverunt me; ſed etiam, quia Manus tuæ diſtillaverunt myrrham propter me, & in Mani-

bus tuis descripsisti me. Thomæ olim dixisti: vide Manus meas, & ego illas video oculis fidei. Sed quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum nùm impressæ sunt stylo ferreo nostrorum scelerum! ò quàm doleo, mi JESU! quàm doleo te sic peccatis nostris vulneratum, vix audeo ad te manus supplices tendere. Juvat tamen adhuc sperare: quia non est abbreviata Manus Domini. Imò cum tot peccatores suscipiat dextera tua Domine; Et ego in Manus tuas commendo spiritum meum: ut post hanc vitam

cum electis tuis ad dexteram Patris merear collocàri.

PETRA.

DOmine Iesu Chriſte! Tu ipſe es fundamentum ſolidiſſimum Eccleſiæ tuæ ſupra Petram ædificatæ. Petra autẽ erat Chriſtus. Et ſuper te, ſolam Eccleſiam Romano-Catholicam fundatam eſſe, probat continuata per annos 1735. Vicariorum tuorum ſeries, ab eo cæpta, de quo ipſe dixiſti: Tu es Petrus,& ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Summas tibi gratias habeo: quod in eadem uſque huc me conſervâris. Statuiſti ſuper

Petram pedes meos, & direxisti gressus meos. Confirma ô Deus! quod operatus es in me, ne de hac Petra moveantur vestigia mea: ut sim, & maneam fidelis, & obediens filius Ecclesiæ tuæ. Ad eum finem desidero mi IESU! in te requiescere: ne periclitetur salus mea. Lepusculus, plebs invalida, qui collocat in Petra cubile suum. Et ego infirmus homuncio unicum refugium meum quæro apud te ô Christe! tu juvare me in omnibus potes. Langventem refice, conforta debilem, paventem anima. Dum te mihi das in cænam, cubile in pa-

ſcuo, & paſcuum in cubili invenio; dum enim nutris ſpiritum meum, ſvaviter quieſcit,& ipſa quies nutrimentum eſt ſpiritûs mei. Nec potus mihi de eſt, cùm ſis Petra illa, quæ lanceâ militis percuſſa eſt, & exivit ſangvis & aqua. Hoc duplici rivo digneris corpus & animam meam à cunctis maculis purgare, ut auſim eò accedere, quò invitat Iſaias: Ingredere in Petram, & abſcondere in foſſa humo. Nonne tu es Petra hæc mi JESU! Quò fugiam miſer ego peccator, niſi ad te? Petra refugium erinaciis. In foraminibus Petræ, in vulneri-

neribus tuis latebo imposterum ut tutus sim ab insidijs circumvenientium animam meam. Hic gemam in cavernis Maceriæ, sicut pullus hirundinis, & meditabor ut columba. Latus tuum apertum ô JESU! in spiritu subintro. Liceat mihi hic sugere mel de Petra, & haurire in gaudio aquam vitæ. Quasi turtur ibidem figere quæro nidulum meum. Hic requies mea hic habitabo: quoniam elegi eam. Absconde me denique ô JESU! à facie furoris tui in fossa humo manuum ac pedum tuorum, quos pio amoris affectu exosculor, & amplector cum

Publicano rogans: Deus propitius esto mihi peccatori.

FILIUS.

SAlvator mundi! sicut es verus Dei Filius, ita & verus es Filius hominis. Utrumq; non solùm credo, & assensu indubitato confirmo; sed etiam ore, & lingvâ profiteor. Utrumq; vel alterutrũ qui negat, filius mortis est. Quare abominor ex toto spiritu omnes illas hæreses ô Christe! quæ vel tuam divinitatem, vel humanitatem oppugnarunt. Fiant omnes illæ in interitum, & pereat de terra memoria earum. E contra una, & sola hæc fides in orbe terrarum flore-

floreat, quæ docet, Christum verum esse Filium Dei, & hominis. Imprimis igitur credo mi JESU! te ab æterno genitũ esse à Patre cælesti: ab eodem enim per intellectum procedis in summam similitudinem, hoc est, identitatem naturæ, ut verbum Patris, imago Dei invisibilis, & figura substantiæ ejus. Proinde eodem cultu Latriæ, quo Deum colo, & te Filium Dei veneror, adorans in Filio Patrem, & in Patre Filium ex toto cordis affectu desiderans, dari nobis omnibus sensum: ut cognoscamus verum Deum, & simus in verò Filio ejus; hic est

verus Deus, & vita æterna. Sed quæ hæc dignatio Charitatis tuæ Fili Dei, ut etiam Filius hominis amore nostri fieres, & veram carnem nostris miseriis obnoxiam assumeres? Detestor enim illas hæreses, quæ te verum hominem, & Mariam Virginem, veram Matrem tuam fuisse unquam negarunt. Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Et (quæ major est gratia) in dies subire habitaculum nostrum sua reali præsentiâ dignatur. Ego Domine JESU! ante veram divinitatem & humanitatem tuã in spiritu prostratus, profiteor me non

posse dignas gratiarũ actiones; & laudes referre. Parce mihi, quòd hucusque tã ingratus fuerim. Offero tibi in satisfactionẽ qualemcunque omnia illa obsequia, quæ unquã tibi á Sanctis tuis exhibita placuerunt; & simul humiliter peto: ut gratiam adoptionis, quam ut Filius Dei naturalis incarnatus nobis es promeritus, adipiscamur, conservemus & fructum ejus, id est, cœlestem hæreditatem consequamur. Amen.

EMANVEL

Verus Emanuel es ô Christe! nobiscum Deus, non solùm per reconciliationem, & gra-

tiam, quam nobis es promeritus; ſed magis per aſſumptionem humanitatis noſtræ, ita, ut liceat mihi dicere ; frater meus es tu, os meum, & caro mea. Quomodo potuiſti magis nobiſcum eſſe? quam naturam noſtram ita tibi uniendo: ut divinâ perſonâ tua ſubſiſteret; & Deus homo fieret, & homo Deus. Quid eſt homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum? Obliviſceris quodammodo dignitatis tuæ ut Emanuel noſter eſſe poſſis. Fateor quidem mi JESU! peccatis meis ſum meritus, ut longè recedas à me, & derelinquas
me

me uſquequaque: quia & ego receſſi à te, & tecum eſſe nolui. Sed doleo ex animo, pudet me ingratitudinis ſummæ, pænitet inſipientiæ meæ. Quomodo potui velle, non eſſe tecum; Ignoſce quæſo culpam fatenti, & roganti veniam. Heu! me nimis miſerum & infelicem ſi me deſeras, & mecum eſſe nolis. Sed conſolantur me verba tua mi JESV! Ecce ego vobiscum ſum uſque ad consummationem ſæculi. Nec ſolùm per gratiam tuam, ſed etiam (quod ſummum amoris tui erga nos eſt teſtimonium) in Euchariſtia, corporali tuâ præſen-

tiâ nobiscũ esse voluisti. Sũma tibi laus, honor, benedictio & gratiarũ actio reddatur ab omni creatura pro singulari isto amore; & dona nobis amorẽ tui reciprocũ, qui in æternũ duret. Ego etiam mi Deus tecũ esse & manere cupio Tui memoriâ delectari, intellectũ meũ tecũ sapere in idipsũ, & sentire, quod & in Christo JESU! voluntatẽ meam cum divina semper convenire. Me tecũ & te mecũ esse desidero in adversis omnibus præsertim in agone vitæ meæ, si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, si mecum fueris. Denique post

hanc

hanc vitam in cælo tecum esse cupio: ut in te Emanuele meo suavissimo gaudere semper possim, & exultare.

VINEA.

DOmine JESV Christe! Tu Vinea Domini Sabaoth, fundamentum solidum omnis fructiferæ plantationis; quæ enim in te à cœlesti Patre tuo plantata non est, eradicabitur. Et hinc necesse est, omnem radicem boni operis, quæ in te ô Jesu! fundata non est, arescere & deficere: cum debeas omnē succum spiritualem, quo interior vita alitur, & conservatur, subministrare. Et ideo sicut

planta terræ; ita & anima mea tibi ô Chriſte adhærere firmiter, & inhærere conſtanter deſiderat: ut bona germina, ſive bonas cogitationes, & bonos virtutum flores & fructus proferre poſſit. Tu Vinea es floridiſſima: aliæ quidem vineæ florentes dederunt odorem ſuum ſed tibi debent ô Chriſte! omne quod habent, & unde placent, in acceptis referre. O quàm pretioſum eſt vinum illud, quod nobis offert Vinea Domini Sabaoth. Vinum hoc Sangvis tuus eſt ô JESU! cujus in communione ſimus participes Et hoc tuo ſacratiſſimo Sangvine

suffoca in me, quidquid est sentium & spinarum, irriga & fæcunda sterilitatem animæ meæ: præserva me ab omni intemperie affectuum, ne labruscas feram; sed uvas vino amoris Dei plenas. Tu ô Christe! vinea es securissima; & ideo radicem vitæ meæ spiritualis in te constanter permanere desidero. Sub tua protectione & custodia non timeo mihi à vulpeculis, quæ demoliuntur vineas; non à frigore & pruina acediæ, non a mortifera corruptione hostis cujuscunque extranei. U num timeo, ne me ipsum custodiæ tuæ subducat, & seducat
con-

concupiſcentia mea. Confige timore tuo carnes meas, & ſepimentum ſpiritus mei ſit horror judiciorum tuorum, ut apud te, & in te ſemper maneam, & inter manſiones multas in domo Patris tui locum aliquem inveniam.

PASTOR.

ABunde modò impleſti Salvator mundi, quod Ezechielis 34. promiſiſti. Ecce ego ipſe requiram oves meas, & viſitabo eas. Nam formam ſervi accipiens 99. oves reliquiſti, ut unam in terris ſalvares humanam oviculam. Verè Paſtor bonus es: Paſcis enim ſecundū

divinam naturam omnem carnem super universam terram. Proin, sicut imples omne animal benedictione; ita vicissim ab omni animali cælum & terram tui laude, & benedictione impleri desidero. Sed quàm bonus Pastor es animarum nostrarum? quot labores, & ærumnas tolerasti: ut oves perditas recuperares. Quanto tibi solatio fuit, & gaudio, recuperasse? ita, ut diceres: congratulamini mihi, quia inveni ovem meam quæ perierat. Imò, ut bonus Pastor dedisti animam pro ovibus tuis, ne perirent. Majora sunt merita tua, ô pastor bone!

ne! quam, ut par à nobis reddi poſſit. In æternum laudetur infinita bonitas & miſericordia tua, quæ præterea nobis dedit paſcua tam ſalutaria, ſacras ſcilicet Scripturas, ex quibus animam meam ſaginari cupio; imprimis verò intellectum meum ita imbui divinis veritatibus, ut in medulla omnis ſapientia, hoc eſt, in te Deo meo conquieſcat. Deinde quã præclara, ſuaviaque ſunt paſcua, Eccleſiæ Sacramenta? Omnia in illis ſpirant gratiam, veniam pacem, favorem, & charitatem tuam ô JESU! Quid? quod in cibum, ac potum nobis offeras

ras carnem tuam, & ſangvinẽ tuum? Manhu! Paſtor bone! quis hic amor tuus? ut cibus eſſe velis animæ meæ, miſerrimæ oviculæ tuæ. Dignare quæſo mi Jesu! in virtute ſacratiſſimi corporis & ſangvinis tui conſervare vitam meam ſpiritualẽ, eamque confortare: ut ex te, per te, in te, & propter te vivam & moriar. Cum verò pro tanto tuo erga nos amore tibi dignas referre gratias nemo noſtrum poſſit, ſufficiat tibi voluntas bona ovium tuarum, & ſperge nos tua paſtorali curâ fovore, & conſervare. Cuſtodi nos ab illis, qui veniunt in ve-

ſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Auge in nobis amorem, & fiduciam erga te, etiã, dũ virgâ paſtorali nos percutis. Conſerva nos in ſimplicitate & prudentia, fac nos deniq; paſcua ſpiritualia ita frequentare; ut ab æternis & cæleſtibus non excludamur.

O V I S.

O Cæleſtis Pater! omnes nos, quaſi oves erravimus, æſtimati ſumus, ſicut oves occiſionis. Nequaquã tamen deſperamus ô Pater miſericordiarum quamvis impoſſibile nobis ſit, pro delictis ſatisfacere. Si vadem requiris, ecce Filius tuus! qui

qui vix natus è Matre Virgine tanquam Ovis in ſtabulo, ad maceliũ continuò quæſitus eſt. Illum tibi offero, omnesq́; ejus dolores, anguſtias, & perſecutiones, quas in Ægypto, & Judæa toto tempore vitæ ſuæ perpeſſus eſt. Quod inſidias vitæ tuæ mi JESU ſtruxerunt Scribæ & Phariſæi, quaſi lupi rapaces quot injurijs, & contumelijs te affecerunt? Et tamen, quã admirabilis fuit tua humilitas, & patientia? Eras quaſi homo nõ audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones. Confundit hæc manſuetudo tua, mi Jesu! impatientiã meam, qui vix a-

marius verbum ſufferre poſsũ. Tu verò ad colaphos, & flagella quaſi agnus coram tondente ſe obmutuiſti: ut doceres nos vincere in bono malum & irã cohibere. Ignoſce quæſo Salvator! quòd hanc doctrinam tuam tam parum ſecutus ſim. Dixi confitebor adverſum me injuſtitiam, & impatientiam meam, & tu remittes impietatem peccati mei, Tu inquam, qui es patiens, longanimis, & multum miſericors; & dona nobis virtutem manſvetudinis, & patientiæ in adverſis quibuscunque. Gratias denique tibi ago mi Jesu! quia pro ſalute

noſtra,

noſtra, ſicut Ovis ad occiſionē ductus es, in ara Crucis hoſtia placationis factus. Id unum ſuppliciter rogo, ut in communione ſalutarem illius hoſtiæ fructum conſequamur, & meritorum tuorum participes effecti inter oves tuas à dextris aliquando numeremur. Eum in finem Deus pacis, qui eduxit de mortuis Paſtorem magnum ovium in ſangvine teſtamenti æterni, Dominum noſtrū JESUM Chriſtum, aptet nos in omni bono, ut faciamus ejus voluntatem, faciens in nobis, quod placeat coram ſe per JESUM

SUM Christum, cui est gloria in sæcula sæculorum.

P A X.

DOmine JESU Christe! Pater futuri sæculi, Princeps pacis: hanc enim nobis beneficio passionis, & mortis tuæ comparâsti, reconcilians nos Patri per crucem, interficiens inimicitias in temetipso. Tuo interveniente merito misericordia & veritas obiaverunt sibi, justitia, & pax osculata sunt. Per te facta, & stabilita est pax Deum inter & hominem; Hinc jure ab Apostolo vocaris, Pax nostra, evangelizans pacē his, qui longè, & pacem ijs, qui pro-

propè. Vix natus eras, annuntiata eſt pax hominibus bonæ voluntatis. Quis mihi det fieri participē illius pacis? Tu nosti Domine, quantum me turbent concupiſcentiæ, quæ militant in membris meis. Tu veniſti adverſus illas, non pacem mittere, ſed gladium. Dona mihi hunc gladiū ſpiritus, quo facta carnis mortificem, & omnes inordinatos appetitus reſcindam: ut veram animi pacē inveniam; Et hanc in me augeri, & confirmari deſidero, quoties te mi JESU in Euchariſtia recipio. Quid enim illa eſt aliud, quam Sacramentum pacis,

& unionis? quo ſicut grana tritici unus panis, ita credentium multitudo fit cor unum, & anima una, imó unũ Corpus Christi; cujus omnia, & ſingula mẽbra velis ab omni ſchiſmate præſervare, uno autem mutuæ charitatis ſpiritu animare, & fovere. Ego interim ſpecialiter mi JESU minimum corporis tui membrum, peto ſingulare auxilium gratiæ tuæ; ut tibi, & Eccleſiæ tuæ conſtanter adhærens corde & ore fidẽ meam confitear, & bonum ſemper operer, nam gloria, & honor, & pax omni operanti bonum. Deinde, ut mandata tua

custodiam: quia pax multa diligentibus legẽ tuam. Deniq; ut in bono ad finem usq; perseverans, in pace in idipsum dormiam, & requiescam.

RADIX.

FIlli Dei vivi, Radix, & genus David Apoc. 22. quâ Deus quidem, Creator Davidis, & Dominus; sed quâ homo; è stirpe David proveniens, quâ Deus & homo Radix omniũ fidelium. Gaudeo in te, velut in virtute infinita omnes omniũ rerum naturalium perfectiones modo contineri perfectissimo: ex te enim vim & efficaciã suam hauriunt semina frugum, &

herbarum, radices plantarũ. & arborũ; omnis germinũ, florũ, fructuũq; varietas, pulchritudo suavitas ex te prima ominũ radice nascitur. Proinde & in te, quidquid inde laudis vel concipi potest, refundi debet. Benedicite igitur universa germinantia in terra Dominum, ligna fructifera & omnes cedri laudate & superexaltate eum in sæcula, & unà mecum eidem gratias agite: quod virtutes rerum tam mirabiles propter hominem creaverit. Sed quis tibi gratias mi JESU! referre poterit; quod Radix salutis nostræ esse volueris, tantopere olim expe-

expectata? de te enim Isaias
scripsit: Ascendet sicut Virgul-
tum coram eo, & sicut Radix
de terra sitienti, hoc est, de
progenie patrum tanto deside-
rio ad Messiam anhelantium.
O Radix Jesse! ex te originem
suam ducunt omnes, quæ natu-
ram excedunt, perfectiones: ti-
bi virorem suum perpetuum
adscribere debent Virgines, flo-
res virtutum suarũ Confessores,
fructus bonorũ operum Mar-
tyres, veræ religionis propagi-
nem Zelatores animarũ. Quis
mihi det ô JESU! ut tibi per fi-
dem firmissimè insertus sim &
maneam: desidero enim ita es-

ſe fundatus & radicatus in charitate Dei, ut me nihil unquã ſeparet à Deo meo. Unum eſt deteſtabile peccatũ, quô, ne à te avellar, timeo. Et quidni timerem? cum tot rami, & quidẽ tam nobiles avulſi ſint, monente inſuper Apoſtolo: non tu radicem portas, ſed radix te. Ita eſt mi JESU! tu portas me, & ſuſtines uſq; huc ramum inutilem, & carioſũ. O quàm bonus es & patiens! quod à dæmone vel concupiſcentia me avelli non permiſeris. Et ne quid tale contingat, cupio ſẽper, & præſertim beneficio cõmunionis te in me & me in te

mane-

manere: ut ſicut ex radice ſuccum ſuum arbor, ita & anima mea ex te ſpiritũ, & vitam, alimentum, & vires ſuas hauriat; atq́; ita fiam, ſicut lignũ, quod plantatum eſt juxta decurſus aquarum, quod det fructum in tempore ſuo; cum certa ſpe, me aliquando poſt mortem inſerendum ligno vitæ, quod eſt in medio paradiſi.

VITIS.

VErba tua ſunt ô JESU! Ego ſum Vitis vera; ut enim palmitem haberes ejuſdem tecum naturæ, homo fieri dignatus es; nec tantam virtutẽ palmiti præſtare poſſes, niſi Deus

eſſes. Et quæ hæc bonitas tua, mi Deus quod nos viliſſimos ſtipites, quaſi palmites tibi inſertos eſſe cupias? ô quàm mirabilis, & divina Vitis es! ſic enim de te ais apud Siracidem. Ego quaſi vitis fructificavi ſuavitatem odoris, & flores mei fructus honoris, & honeſtatis. Heu quàm viles mei flores, quā putridi fructus, amore proprio infecti, Doleo mi Deus & humiliter veniam rogo, ignoſce negligentiæ meæ, quod expectationi tuæ non ſatisfecerim. Quærunt me appetitus mei abſtrahere à te, timeo mihi Domine, vim patior ſubinde, re-
reſpon-

ſponde pro me & protege me. Quæ utilítas in ſangvine tuo; ſi ſicut palmes foris mittar, & areſcam, in ignem mittar, & ardeam? Calamū quaſſatū non conteres, & lignum fumigans non extingves. Fateor, multi in me humores vitioſi, à quibus liberari deſidero: ut fructus feram incorruptos. In te manere mihi neceſſe eſt. ô JESU nō enim poteſt palmes ferre fructū à ſemetipſo, niſi manſerit in vite, quare gratia tua præcedat, concomitetur & ſubſequatur omnes actiones meas. Recordare quæſo Domine JESU quomodo rogaveris Patrem tuum:
ut

ut unum essemus. Nihil potest mihi esse optabilius, quàm ut unus tecum sim, ita; ut de carne, sangvine, vita, spiritu, meritis, & gratia tua vivens pulchros virtutũ flores, & fructus proferam. Non deficiat in me vivificus ille succus, quo tui palmites imbuuntur. Et hunc succũ specialiter à te peto Spiritus S. ut omnes & singulæ facultates animæ meæ in Dei servitio alacriores fiant. Deniq; tibi supplico cælestis Pater! Agricola noster, qui omnem palmitem ferentẽ purgas: ut fructum plus afferat. Non parce mihi, ubi opus est, liga, adstrin

ge,

ge, amputa, quæ noxia ſunt, & ſuperflua. Ad eum finem dona mihi patientiam, & ſubjectionem ſpiritus, adauge fidem, & fiduciam, intende charitatem, quæ me conſtanter Chriſto Filio tuo in hac, & poſt hanc vitam conjungat.

O L I V A.

SAlvator mundi! vix eras in mundum natus, florebas quaſi oliva ſpecioſa in cãpis; & dũ incidereris octavo die, olivam uberem, pulchram, fructiferã, ſpecioſam vocavit Dominus nomen tuum. Sine tua gratia humanum genus, velut arbor inutilis fuiſſet exciſa, & à facie Domi-

Domini projecta. Oleaster erat vetus homo, & tamen (quæ tua est ô Salvator! benignitas, & misericordia) socius factus es radicis & pinguedinis olivæ. Hāc eandem gratiam omnes consecuti sumus Christiani, dum ex naturali oleastro excisi, contra naturam inserti sumus per baptismū in bonā olivā. Pro quo singulari beneficio te, mi Deus ab omnibus Christianis amari, benedici, & æternum glorificari desidero, ex toto corde repetens cum Davide: Confitemini Domino, quoniā bonus; quoniam in æternum misericordia ejus; quam nobis significat nomen

men tuū, quod est CHRISTUS; sicut enim ipse unctus es uncti one plenissima, ipsius adeo divinitatis; ita & nos pro capacitate nostra vis esse unctionis tuæ participes. Quidquid in te, & circa te est, mi Jesu spirat misericordiam, suavitatem, & clementiam. Thronus tuus de lignis olivarum, eloquiū tuum super mel, & favum, oleū effusum nomen tuum. Hoc oleo inungi desidero animam meam & omnes ejus vires confortari, ut tanquā fortis Athleta certare possim contra adversarios salutis meæ, & eosdē vincere. Grata tibi ô cælestis Pater

ter in teſtamento veteri fuit oblatio, ſimila frixa oleo. Sed modò nullum mundius, ſuaviusq́; tibi ſacrificium eſſe poteſt, quàm Filius tuus, quem, dum in communione ſuſcipio, inſtar cœleſtis olei cordi meo illabi deſidero, ut floream, vigeamq́; ſicut oliva fructifera in domo Domini. Condimento ejuſdē olei tui ô Chriſte perfundatur memoria mea, illuminetur intellectus, voluntas accendatur, ut participem aliquando de oleo lætitiæ, quo unxit te Deus, Deus tuus præ conſortibus tuis, quos inter & me digneris recenſere, ut te cum ijs æter-

æternum amare possim, & glorificare.

FONS.

DOmine JEsu Christe! Fons quidem es, non tamen sua carens origine, patre scilicet cælesti, à quo modo quodã ineffabili profluis. Fonses, à quo, uti à Patre tanquã indivisibili principio promanat Spiritus S. ita tamen, ut una eademq; trium natura sine ullo sui principio fuerit ab æterno. Mysterium illud simpliciter, & fideliter credo, humiliter veneror & adoro. Fons es, ô JESU! in quẽ qui credit, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus

fluent aquæ vivæ. Apud te mi Salvator! Fons est vitæ, omnium gratiarũ, & virtutũ. Ego ingenuè fateor, totum esse meum, & si quæ bona habeo, omnia & singula, fluxu prorsus gratuito, & liberali manâsse ex te fonte bonorũ omniũ & naturalium, supernaturalium, tẽporalium, æternorum. In hunc fontem cum corpore & animo me totum immergo: ut à cunctis imũnditijs præteritis abluar, & à futuris præserver. Eundem in finem simul peto, cum me æstus concupiscentiæ solicitet, ut extinguat aut refrigeret saltem hunc periculosum

æstum aqua illa viva, quæ manat de fonte isto; & sic cum minori impedimento corporis, & majori libertate spiritus tibi va leam deservire. Quanto mihi solatio sunt verba tua, mi JESU! si quis sitit, veniat ad me, & bibat, aquã, quam ego dabo fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternã. Utinam hæc tua suavissima promissio in me toties impleatur, quoties te in Sacra Communione recipio. Liceat mihi tunc saltem haurire aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Si vas, in quo hauriam, desideres, ecce cor meum; si impurum est, munda

ſi anguſtū nimis, dilata. Quàm doleo quod non habeam majorem ſitim ad aquam illā ſalientem in vitam æternā? quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſideret anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei! nihil poteſt in hoc mundo ſatiare appetitum meum. Satiabor, cum apparuerit gloria tua. In te ſunt Deus vota mea. Exaudi me Domine.

P A R I E S.

O Quam bonū eſt, confidere in Domino, in Deo ſalutari ſuo! Ego quidem vanitati

ſimi-

ſimilis factus ſũ, velut umbra fugiens, aut vapor ad modicũ parens. Sed Deus adjutor meus, & ſperabo in eum. Adverſus omnia pericula ſalutis meæ loco parietis & clypei eris mihi. O JESU? quam ſecurus eſt, qui tuo gaudet Præſidio. Quid juvant turres & mœnia ſine auxilio tuo mi Deus! niſi Dominus cuſtodierit civitatẽ, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam. Nonne fide eorum, qui in te ſperaverunt, muri Jericho corruerunt? ita nihil difficile ijs, qui in Deo confidunt. Nec ego munitus gratia tua mi JESU! timebo difficultates quaſcunq́.

occurentes. In Deo meo transgrediar murum, Dominus protector meus, & cornu salutis meæ. Modò non impediant auxilium tuum mi Deus delicta mea: Quia tamen non vinci potest bonitas tua infinita peccatis nostris, confido, non denegandũ mihi, quod olim Ierosolymæ, quamvis prævaricatrici, pollicitus es. Ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu Zachar. 2. 5. quomodo terrebuntur, & fugient hostes mei, si murus mihi fueris, & quidem igneus, exurens in me, quidquid vitiosum est, & pravarum inclinationum, in flam-

flammans cor meum puro amo re tui, & protegens in circuitu. Nullibi extra te ſecurus ſum, undiq; ſalutis diſcrimen. Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum: ut ſalvum me facias, præſertim in agone vitæ meæ: tunc te mi JESU! ſacræ communionis beneficio mihi præſentem habere deſidero, ut ſis mihi murus aheneus contra omnes malignos ſpiritus, atq; ita ſalus mea, pretioſo ſangvine tuo reparata, in tuto collecetur.

A G N U S.

DOmine JESV Chriſte! te eſſe Agnum Dei, qui tollis

peccata mundi, teſtatus eſt præ curſor tuus, ut ſcimus, quia verum eſt teſtimonium ejus: uti & Evangeliſtæ tui Joannis, qui te Agnum Dei ab origine mundi occiſum fuiſſe ait, in omnibus enim ſacrificijs antiquæ legis præfiguratus fuiſti; donec venires ipſe, teq́; hoſtiam pro peccatis noſtris offerres: impoſſibile enim erat, ſanguine taurorum, & hircorum auferri peccata. Tu igitur ô JESV! es Agnus ille, qui tollis peccata mundi, offerens Deo pretium ſuperabundans redemptionis: non enim corruptibilibus auro vel argento redempti ſumus; ſed

ſed pretioſo Sangvine, quaſi agni immaculati. O cœleſtis Pater quã poſſum tibi offerre gratiorem victimam, quam hunc Agnum, Filium tuum, in quo tibi benè complacuit? Avertat quæſo divina manſvetudo Agni hujus à nobis omnem iram indignationis tuæ; aſperge fuſo eius cruore animas noſtras: ut ſicut olim Iſraelitas, ita & nos tranſeat Angelus percutiens, nec plaga mortis æternæ nos corripiat. Sed, quis noſtrũ dignè tibi ò cœleſtis Agne gratari poterit? quod totus quantus es, in bonum noſtrum velis cedere. Donas nobis merita tua, & o-

& omnem justitiam tuam, quâ contegatur nostra nuditas, lactas nos verbo veritatis, carnē tuam in cibum, & Sangvinem in potum offers. In æternum sit benedicta hæc charitas tua, quæ insuper spem mihi facit; fore, ut admittar aliquando ad nuptias agni in cælis; quarum arrha nostra in terris est sacra cōmunio, in qua per fidem nobis deponsaris, & in charitate conjungeris. Sed doleo, quòd ad illam majori cum desiderio & pietate non accedam. Parce mi JESU! omnibus defectibus & negligentijs meis. Digneris me imposterum, quoties te in

cor

cor meum ſum recepturus, ornare veſte nuptiali:ut arrhabonem meum Euchariſticum ſũmo in pretio ſemper habeam, ex toto corde diligam, & fideliter ad mortem uſq; cuſtodiam & ſic poſt vitam hanc conjungi merear cœleſti choro dicentiũ magnâ: Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & divinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Apocalypſ. c.5.v.12.

VITULUS.

FIli Dei! holocauſtis victimarũ amplius non delectaris. Cor contritũ & humiliatũ pla-

cet

cet tibi Deus! ſuper vitulum novellum, cornua producentē & ungulas. Peto igitur illam gratiā â te: ut in nobis ſpiritus contribulatus gratū tibi ſemper offerat ſacrificium; & ut exhibeamus corpora noſtra hoſtiā viventem, ſanctā, Deo placentē, rationabile obſequiū. In te mi Jesu! impletum eſt quod jubetur Levit. 4. ut vitulus efferretur extra caſtra, & cremaretur: propter quod & Jesus, ut ſanctificaret per ſuum ſangvinē populū, extra portam paſſus eſt. Sanctifica igitur ô Jeſu! animas noſtras, & à cunctis maculis peccatorum emunda, ex-

cita

citã nos ad ſanctã tui imitatio-
nẽ: ut ſimul exeamus ad te ex-
tra caſtra, improperiũ crucis
tecũ portantes, & ſimul in ara
cordis noſtri ſic immolantes
Deo, ut peccatis mortui juſtitiæ
vivamus. Non placent tibi ani-
maliũ victimæ, ſed ſacrificium
laudis. Illud igitur ex toto cor-
de per ſingulos dies tibi præſta-
re deſideramus per D. N. J. C.
adhortante nos Apoſtolo tuo:
Per Ipſum offeramus hoſtiam
laudis ſemper Deo, id eſt, fru-
ctum labiorũ, confitentiũ no-
mini ejus. Ne tamen te labiis
ſolùm honoremus, & cor no-
ſtrum longè ſit à te, non tantũ
reddi-

reddimus vitulos labiorũ nostrorum: sed etiã cor nostrum, velut animã vocalis obsequij tibi deferimus. Et in eum finem cor mundũ crea in nobis Deus! & spiritũ rectum innova in visceribus nostris: ut perfectam laudis hostiã tibi immolemus. Sed quis ille amor tuus ô cælestis Pater! quod nos peccatores filios prodigos, qui nec meremur inter mercenarios tuos ob ingratitudinẽ nostram numerari, tam benignè in gratiam recipias, & insuper in Sacramentali convivio vitulum nobis saginatum apponas comedendum, carnẽ & sangvinẽ

Filij

Filij tui? ô vos beati Angeli, qui peccatorũ pænitẽtiâ gaudetis, vices noſtras ſupplete, Deo Patri, & Filio ejus omniũ noſtrum Regi pro nobis gratias agite, perpetuam laudis ſymphoniã intonate; & ut illam vobiſcũ aliquando intonemus concedat nobis Dominus omnipotens. Amen.

L E O.

GRatias tibi ago Domine Jesu! quòd mori dignatus ſis amore noſtri. Fortis ut mors dilectio tua. Et ideo ex amoris, gratitudinis, & obedientiæ debito, quoties communico, mortem Domini annuntia-

nuntiabo, donec veniat. Vicisti Leo de tribu Juda, dũ mortuus es, mortẽ ipsam, infernũ, & dæmonem. Tunc nos fideles vivere incepimus, quando vivere desijsti. Favũ mellis in ore Leonis mortui Samson reperit. Et nos Christiani ô Christe Jesu! vitam æternam in morte tua tẽporali invenimus. Tua passio, nostra est refectio, tristitia, solamen, captivitas, redemptio, tui ad mortem condemnatio, omnium nostrũ absolutio. De spinis tuis uvas colligimus, & de tribulis ficus, tuâ inopia ditescimus, infirmitate tuâ roboramur, & hoc robur augeri in nobis pe-
to dum

dum ad menſam Euchariſticã accedimus, ut tanquam leones ignem ſpirantes ab illa menſa recedamus, facti diabolo terribiles. Circuit ille tanquam leo rugiens quærens, quẽ devoret. Inſidiatur animæ meæ per carnis blanditiem, ſicut catulus leonis habitans in abditis. Ne tradas beſtijs animas confitentes tibi, ſalva me de ore leonis, & fac me participẽ illius victoriæ, quã de maligno ſpiritu retuliſti ne illi horrendæ maledictioni aliquando involvar: ite maledicti. Leo rugiet, quis non timebit quàm terribilia ſunt verba tua mi Deus! apud Amos

Prophetā? Occurram eis quaſi urſa raptis catulis, conſumā eos ibi, quaſi leo. Tremor & timor venerunt ſuper me, ne in furore tuo aliquando arguas me, quaſi leo conterens omnia oſſa mea. Fateor mi Deus! non timui te, ut potui, & debui: nam qui timet Dominū, nihil negligit. Innumeræ ſunt neglientiæ meæ in ſervitio tuo, pro quibus nunc ſupplico majeſtati tuæ ut illorū non reminiſcaris tunc, cùm ad judicium veneris. Salva quæſo animam meam à rugientibus præparatis ad eſcam, qui Danielem è lacu leonū liberâſti; & dona mihi gratiā tuam cum

cū ſpiritu fortitudinis, quo tá animo ſe, & conſtanter dæmonibus in fide reſiſtã, & tentationibus quibuscunque ſuperior evadam: ut cū ſponſa illa Cant. 4. glorioſa dæmonū, & paſſionum victrice de cubilibus leonum, de montibus Pardorum ad cæleſtem coronam aliquando merear evocari.

PROPITIATOR

BEnedictus Deus, & Pater Domini noſtri Jesu Chriſti: quia fecit nobiſcū miſericordiã ſuam, in Filio mundum reconcilians ſibi. O quanto nobis hoc eſt ſolatio! modò enim Advocatū habemus apud Patrē Chriſtum

ſtũ juſtũ; & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm ſed etiam pro totius mundi. Et ideo credo mi Jesu! te pro omnibus, etiam reprobis eſſe mortuum. Proĭde tibi ſupplico mi DEUS! pro omniũ ſalute: ut fructũ Dominicæ paſſionis tuæ participent. Lex antiqua aureum in tabernaculo fæderis habebat propitiatorium, quo Arca tegebatur. Longè excellentius nobis eſt propitiatoriũ in Altaris tabernaculo, quô non ſolũ operiuntur legis prævaricationes; ſed tolluntur etiam, & penitus delentur. Credo enim Deum homi-

hominibus fieri propitiū, non per hoc tantùm, quòd non imputetur eis iniquitas; ſed per gratiā, quā de plenitudine Chriſti accipimus, & charitatē Dei diffuſam in cordibus noſtris per Spiritum S. Ideoque pro mea, & aliorum juſtificatione peto à te mi Salvator ut beneficio gratiæ tuæ induamus novū hominem,* qui ſecundum Deū creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis. Præterea ſuperabundans fuit propitiatio tua mi Jesu! ubi abundavit delictum, ſuperabundavit gratia. Hinc audacter dico cum Vate regio: Propitiaberis peccato meo,

multum est enim, non solū per propitiationem facti sumus non inimici, sed etiam filij, & hæredes Dei, cohæredes autē Christi. Illumina oculos nostros Domine JESU! ut hanc singularē gratiam, & dignitatē agnoscamus, & te semper, dū vivimus, nobis propitium habere studeamus. Eum in finem cū Publicano dicā sæpius: Deus propitius esto mihi peccatori, & orabo cum Ecclesia; propitius esto parce nobis Domine, propitius esto, exaudi nos Domine. Ab omni malo libera nos Domine, præsertim à malo finalis impenitentiæ, & damnationis perpetuæ;

tuæ; Quis enim illud non timeat cum jubeamur, etiam de propitiato peccato non esse sine metu. Quare cũ adjutorio gratiæ tuæ mi Deus! per bona opera vocationem meã certã facere non desinã: ut mihi misericors & propitius usq; ad mortẽ, donum perseverantiæ gratuitum largiaris. Amen.

VERBUM.

O Verbum Patris ineffabile! generationem tuam quis enarrabit: Quomodo scilicet ab æterno Pater te verbum suum produxerit, persona distinctum idem in natura. A.A.A. Domine nescio loqui. Mysteriũ illud

illud credo quidem;ſed non intelligo. Hoc tamen ſcio: quia Verbum illud infinita eſt ſapientia, ratio perpetua, intellectus incomprehenſibilis, veritas invariabilis, lux indeficiens, illuminans omnē hominem venientem in hunc mundū. O cœleſtis Pater! verè cor tuum eructavit verbum bonum. Utinā & boni illius verbi gratia illaberetur in cor noſtrū, quod heu dolor! nimis vanum, & terrenum eſt, ut ex verbis noſtris palam eſt, quibus te Deum toties offendimus. Ignoſce nobis ô Verbum Patris! & da nobis ſpiritum bonum, qui theſaurū

gra-

gratiæ tuæ nobis infūdat, & custodiat, & simul nos doceat, & faciat benè loqui, & vitare multiloquium. Semel locutus est Deus, ait Psalmista: quia ùnum solummodo Verbum ab æterno Pater genuit. Et unicū illud Verbum veneror cū Cherubinis, cum Dominationibus adoro, admiror cum Virtutibus cum Angelis, & Beatis omnibus summo, quo possum affectu benedico. Hoc Verbum, in principio erat, & apud Deum erat, & Deus erat Verbum, omnia per ipsum facta sunt. Et hæc omnia, quid aliud sunt mi Deus! quam locutiones tuæ ad

extra, per quas inviſibilia Divinitatis tuæ à creatura mundi intellecta conſpiciuntur. Credo interim indubitatè ô cæleſtis Pater! Verbum tuum non eſſe inter ea, nec eſſe ſicut ea, quæ facta ſunt; ſed natum à te ante omnia ſæcula, genitum non factum. In virtute ejuſdē verbi, quod cælum & terrā è nihilo creavit, credo certiſſimè tranſubſtantiationem fieri inEuchariſtia, in qua dum te mi JESU! recipio, fac me inæſtimabiles theſauros ſapientiæ, & ſcientiæ tuæ magis cognoſcere, æſtimare, & concupiſcere: concupiſcentia enim ſapientiæ deducit
ad

ad regnũ perpetuum. Summas quoq; gratias tibi ago ô Verbũ incarnatum! quod eructaveris abscondita à constitutione mũdi, in parabolis os tuum aperueris, & omnia nobis nota feceris, quæ audivisti à Patre tuo. Illam gratiam à te peto, ut quoniã semen est verbum Dei, cor meum terra bona sit, & aptè disposita ad recipienda verba Evangelij tui, ita, ut illa in corde bono, & optimo audiens retineam, & fructum afferam in patientia.

H O M O.

QUid est Homo ô Fili Dei! aut Filius hominis: quia visitas

ſitas eum, in ſimilitudinē hominum factus, & habitu inventus ut homo? Quid, quæſo, movere te potuit, ut fieres caro, & ſangvis noſter? Una, & ſola eſt bonitas tua, quæ movit te. Doleo, quôd hanc bonitatem unquam offenderim, & deteſtor ex animo omnia, & ſingula peccata mea, ideo tantum: quia infinitæ illi bonitati contraria. Moveat, & illa me ad redamandum te mi Jesu; cum & ideo fieri homo volueris: ut ſimilitudo mater fieret majoris charitatis. Si omne animal diligit ſibi ſimile, quomodo poſſū ego homo, te Deum hominē non ama-

amare? Impedit tamen in me amorē illum Philautia, & ideò tantus tepor meus in ritè præstando tibi servitio. Ignosce Domine Jesu! ignem venisti in terram mittere, & quid vis, nisi, ut accendatur, accende illum in me? præsertim, dū mihi conjungeris per communionem, in quâ verè ostendis, delicias tuas esse cum filijs hominum: ut ad amorem tui reciprocum nos alliceres. Habe cor meū ô Jesu! ut, quam suavis sis, gustem magis, & videam, quam grandis fuerit illa misericordia tua, quâ permotus non Angelos, sed semen Abrahæ

brahæ apprehendisti. Videras fragilem naturam nostram, & quidem, totam, insuper à dæmone seductā cecidisse; & continere te non poteras: quin universali miseriæ succurreres. O verè mi Deus! miserationes tuæ super omnia opera tua. Misericordiæ Domini, quòd non simus consumpti. Poteras gratis salvare hominem. Sed quòd homo fias, ut salves hominē; & Filius hominis: ut hominē facias Filium Dei, excessus nimius est bonitatis tuæ. Pro quo mi JESU! cum toto humano genere, ad pedes tuos sacratissimos provolutus, summas tibi

grati-

gratias ago, & vos beatos Angelos (neq; enim invidetis nobis fortunam nostrã) simul exposco: ut nobiscum magnificetis redemptorem JESUM, & exaltetis nomẽ ejus in idipsum. Illam interim gratiam à te peto ô Christe: ut exemplum illud quod nobis in assumpta homanitate monstrâsti, strenuè imitemur; Nam & ideo apparuit humanitas, & benignitas tua; ut erudiret nos. Proinde simul efficax auxilium gratiæ tuæ flagito pro incremento doctrinæ tuæ, ut abnegantes sæcularia desideria sobriè, piè, & justè vivamus in hoc sæculo, expectantes

tes beatam ſpem, & adventum gloriæ tuæ.

R E T E.

QUid potuiſti Domine Jesu facere, quod non feceris: ut hominẽ caperes, & ad amorem tui traheres? Nonne omnia per te ipſum facta ſunt; & quid ſunt hæc, niſi retia, quæ ideo explicas; ut corda hominũ veneris. O felix præda! quæ à te mi Jesu! capitur: non enim capis, ut pereat, ſed ut vitam habeat, & abundantius habeat. Proinde ſummas tibi gratias ago pro illis beneficijs, quibus omnes peccatores, ſagenâ tuâ Evangelicâ captos unquam cumula-

mulasti. Captivis libertatem, mortuis vitam, miseris æternā felicitatem contulisti. Ne quæso! obliviscaris mei ó Jesu! vel tibi debebo in prædam cedere, vel diabolo. Libera me de laqueo venantium, & abinsidijs quærentium animā meam. Vocas me; sed hoc non satis mihi est: Trahe me post te, & currā in odorem unguentorum tuorum. Fateor quidem, multa neglexi media, quibus me dignatus es allicere; sed veniam rogo suppliciter; ne me ideo desinas attrahere, qui pondere infirmitatis meæ semper deorsum premor. Non possum non

ſummam in te habere fiduciam dum conſidero omnia illa irritamenta, quæ non minus ſvaviter, quàm potenter nos ad te invitant, & adducunt. Eloloquia tua dulciora ſuper mel, & favum. Non perſvades niſi credere, nec præcipis, niſi amare. Quid facilius, quam Deo credere? quid dulcius, quam ipſum amare? Nulla tamen nobilior eſca, quam caro, & ſangvis tuus ſub ſpecie panis tectus Totum cor meum divino hoc ferculo ineſcari deſidero, & cæleſti affectu ita imbui: ut gaudeam me ligari, & conſtringi præceptis tuis: vincula enim il-

lorum

lorum alligatura salutaris. Sed vanum est hoc desiderium meum, nisi & tu me traxeris ô cœlestis Pater! per Filium tuum, in quo impletum est, quod Oseæ c. 11 promisisti: in funiculis Adam traham vos, in vinculis charitatis. In funiculis scilicet Adami novi, & cœlestis, per quem nos tibi maximè devinxisti: quid enim aliud eius nativitas, & vita, passio, & mors, resurrectio, & ascensio, quàm amoris vincula? quibus tam firmiter irretiri cupio voluntatē meam: ut nihil me à te Deo Patre meo, & Filio tuo possit separare.

LAPIS.

DOmine JESU Christe! in te impleta est Prophetia Isaiæ & promissio à Deo Patre facta: Ecce ego mittã in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum. Verè lapis probatus es mi JESU! tentatus per omnia pro similitudine absq; peccato. Quod contusiones, ictus, & percussiones tolerasti? foderunt manus tuas, & pedes tuos. Doleo mi JESU! ex toto corde meo; quòd unquã peccaverim, & peccando author fuerim passionis tuæ; sed eidem tamen etiam maxi-

mas gratias habere debeo: cum enim merito, & beneficio passionis tuæ muri cælestis Jerusalem reparati sint, spero me illis tanquam lapidem vivũ aliquando inserendũ. Fateor quidem, multa adhuc in me sunt rudia, superflua, & inordinata; ad hæc verò tollenda largire mihi gratiam tuam ô Salvator! imprimis tempore communionis; tunc digneris me adaptare regno cælorum; ut quæ in me experior noxia mortificem, ab alijs etiam mortificari, corrigiq; libenter feram, libererque impedimentis omnibus, quominus ad cœleste quadrem ædifici-

ficium. Præterea mi JESU! tu es lapis ille vivus, à Deo electus, & honorificatus, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino. Lapis ille, qui de monte abscissus es sine manibus. Lapis ille, in quo Zacharias septem oculos se vidisse testatur, in commendationem summi amoris, & vigilantiæ tuæ in salutẽ nostram. Vtinam & amor meus in te semper esset vigilans; omnis labor & vigilia mea in tui amore consummatur. Tu es Lapis ille, quẽ reprobaverũt ædificantes, sed factus in caput anguli duos populos, Judæũ, &
Gen-

Gentilem inter ſe conciliaſti, fa
ciens utraq; unum, & medium
parietem maceriæ ſolvens; ita
ut modò cunctis omnino ho-
minibus aditus ad cœlum pa-
teat. Quam multi adhuc extra
illam unionem ſunt Judæi, Gẽ-
tiles & Hæretici. Miſerere illo-
rum omnium ô cœleſtis Pater!
qui potes etiam de lapidibus ſu-
ſcitare filios Abrahæ. Mille o-
perarios in meſſem tuam, in
ædificationem Corporis Chri-
ſti, donec occuramus omnes
in unitatem fidei, & agnitionis
Filij Dei. Tu deniq; mi Iesu!
ille Lapis es pretioſiſſimus, à
quo omnes lapides pretioſi in

fundamentis cælestis Jerusalem & omnes margaritæ in portis ejus suum decus, splendorē & pretium mutuantur. Et ego ornatum meum spiritualem à te mutuari desidero, dū te in cor meum recipio: ut certior fiam cælestis incolatus, & in eodem cum Sanctis tuis omnibus laudes tuas æternum merear decantare,

D O M U S.

QUæ est domus tua ô Verbū Patris! nonne assumpta humanitas; quam plenitudo Divinitatis inhabitat. Verè domum tuam decet sanctitudo Domine cum fundamentum illius & suppo-

ſuppoſitum ſit ipſa ſanctitas infinita, quam ſumma cum ſubmiſſione, & pietate veneror, & ſimul omnes Sanctos invito ad offerendas laudes, & agendas tibi gratias ô Fili Dei vivi! quod naturam noſtram ad ſummum dignitatis faſtigiū elevâris: ita, ut eandem etiam latriæ cultu volueris adorari. Et hinc bene à Pſalmiſta monemur: adorate ſcabellum pedum ejus quoniã ſanctum eſt. Quare & ego Domine Deus! adoro, & adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Templum inquã illud adoro, quod crudeli judæorum perfidiâ de-

ſtru-

ſtructum fuit; ſed triduo reædificatum, in reſurrectione ſcilicet, quam ego firmiſſimè credo confidoq́; per infinita merita tua mi Iesu! ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur; quod ædificationē ex Deo habeamus, non manufactam, æternam in cælis. Attamen jure timeo, ne mihi impedimento ſit illud ipſum domicilium, quod ſpiritus meus inhabitat. Circuit illud dæmon, & inſidiatur undiq́;. Non ſolùm mors per feneſtras tentat ingredi, ſed per omnes ſenſus. Sed, qui habitat in adjutorio Altiſſimi, in protectione Dei

cæli commorabitur. Humanitas Salvatoris mei eſt, & erit mihi in adjutorium, & in domum refugij. Et quidē in triclinium ſit mihi ô Iesu! anima tua; illa reficiat memoriā meā continua recordatione beneficiorum tuorum, paſcat intellectum meum ſuavi cibo veritatis Evangelicæ, & voluntatem meam divini amoris vino inebriet. In muſæū ſint mihi vulnera manuum tuarum, in quibus deſcripſiſti me: ut indies magis in timore Domini proficiam. In cubile ſint mihi vulnera pedum tuorum, & ut in illis ſuaviter dormiam, & requi-

eſcam

esam, fac, ut cor meum obliviscatur temporalium, ut majori cœlestium desiderio afficiatur. In sacellum deniq; sit mihi vulnus lateris tui, & in eodem adoro cor tuum ô JESU! è quo velut altari sacratissimo divina ardentissimi amoris thymiamata ascendunt, in odorē suavissimū Domino. Quæ tibi ô cælestis Pater offero in supplementum teporis nostri, & frigoris, rogoq; suppliciter: ut quidquid in nobis est terreni amoris, & sordidi, deleatur; purus verò ignis perfectæ charitatis in Deum & proximū excitetur & foveatur; & sic præpare-

paremur in domũ Domini, & in templum Dei, vivi, & in nobis impleatur, quod promissũ est Levitici c. 26. quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum Deus. Hoc saltẽ peto a te mi Jesu: ut quoties te in domum cordis mei recipio, me totum inhabites, possideas, & sic confirmes in gratia tua: ut mansionem aliquam in domo Patris tui inveniam,

OMNIA.

O Cælestis Pater! summas tibi gratias ago pro inenarrabili dono, Filio tuo unigenito: ipsum enim donando omnia

nobis

nobis cum ipso donâsti. Non potuit quidquã excellentius vel cogitare sapientia tua, vel nobis gratius omnipotentia tua producere. Venerunt nobis omnia bona pariter cum eo, & innumerabilis honestas per manus illius. Proinde, sicut omnia flumina ex mari veniunt, & in idem refluunt, ita desidero, ut omnia illa naturæ & gratiæ dona, quæ à te per Filium in nos fluxerunt, in te per eundem cũ perenni laude & gloria bonitatis tuæ refluant. Dignus es Domine, qui ab omnibus super omnia ameris, & benedicaris. Et tu pariter Fili Dei vivi, qui inter

inter omnia, quæ fecisti, omnium compendium fieri dignatus es: ut, nobis omnia fieres. In nomine tuo omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingva confiteatur nomini tuo in æternum: omnibus enim omnia factus es, ut omnes lucrifaceres. Encyclopædia ignorantibus, panacea ægrotis, panoplia inermibus. Formã debitoris, servi, infantis, viri, hortulani, peregrini, imò speciem peccatoris dignatus es assumere: ut omniũ salus fores. Verus Pastor noster. Nihil extra te mi JESU satiare potest spiritũ meum.

Si

Si donares mihi omnia sine te, dares mundum sine sole, corpus sine anima. Tolle à me omnia, quæ habeo, & relinque te solum mihi & sufficit, quia tu solus es beatitudo mea. Vbi tu es, ibi bona omnia, & quia amicus noster esse dignatus es, illa nobis tecũ voluisti esse communia. Verè nimis magna est charitas tua, mi JESU! & confundit illa penitus nimiã ingratitudinem meam: difficile enim mihi accidit vel modico subinde bono carere, amore tui. Cùm deberem cum Apostolo omnia arbitrari ut stercora, ut te Deum meũ, in

quo

quo omnia humani corpis desiderabilia superabundant, magis possem amare. Diligā te mi Jesu! super omnia, te inquam, qui, cum dives es, pauper fieri voluisti, & te exinanire, ut repleres nos bonis cælestibus. Da mihi spiritum paupertatis, ut paratus sim potius carere bonis omnibus, quā amicitiâ tuâ, quā me fateor, ut decet, non observasse, nec amori tuo respondisse. Parce Domine homuncioni ingratissimo, ignosce roganti veniam, quam licet non merear, spero tamen, & quidni sperem; cū dederis mihi omnia, & te ipsum super omnia. Proinde

& in te Deo Salvatore meo gaudere æternùm, & exultare desidero. Quid enim mihi est in cælo? & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

CHRISTUS.

O Christe Fili Dei vivi! quē Spiritu S. unctum esse Scriptura testatur. Summas tibi gratias ago pro Sacramento Cōfirmationis, quo Chrysmate salutis inunctus, & in fide roboratus sum. Sicut unguentum in capite, quod descendit in oram vestimenti; ita & gratiæ tuæ in omnia Ecclesiæ membra summa, & minima dimanant: de pleni-

plenitudine enim tua omnes accepimus. O quam ſvavis erat odor ille mi JESU! quē ſpirabas dum nobiſcum in terra viveres. Quot millia hominum attrahebant exempla, miracula, & eloquia tua? Trahant nos & illa pariter ad te redamandum, & imitandum. O cæleſtis Pater? nullum laudis ſacrificium tibi gratius redolere poteſt, quàm Filius tuus. Proinde eundem tibi cum ſummo affectu pietatis offerimus: ut in virtutum ejus fragrantia nos cæleſti benedictione tuâ repleamur. Suſcipe igitur omnem ejus charitatem, religionē, obedientiam, humi-

litatẽ, paupertatem, misericordiã patientiam, cæterasq́; virtutes ejus suavissimas. Verè odor Filij tui, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Et quoties hunc agrum beneficio sacræ communionis ingredior non solum floribus gratiarum tuarum ornari, sed etiam de obtinendis aliquando fructibus æternæ gloriæ me certiorem reddi desidero. Ingens sanè bonitas tua est, ô Christe! quod tam patienter feras abominabilem fætorem delictorum nostrorum, & putidum cordis nostri tectum subire non horreas. Infunde quæso benignissime Samaritane

ritane vulneribus nostris vinum charitatis, & oleũ misericordiæ tuæ; confirma, & perfice omnes & singulas facultates animæ meæ ungvento S. Spiritus. Inquã totus, quantus sum, benedictionẽ tuã, sicut vestimentum & intret, sicut aqua in interiora cordis mei, & sicut oleũ in ossibus meis: ita, ut odor istius olei cedat in æternam commendationem miserationum tuarũ quæ à sæculo sunt, & in sæculũ sæculi.

JESUS.

O JESU! esto mihi Jesus, & salva me: ideo enim vocatum est nomen tuum JESUS, ut

ſalvum faceres populum tuum à peccatis eorum. Multa quidẽ & magna ſunt delicta noſtra; ſed nomen tuum ô JESU nomen eſt ſummæ miſericordiæ pietatis, & gratiæ: ita, ut de culparum venia dubitare non liceat. Et ex hoc nomine tuo, quod ſis JESUS meus, multo mihi ſvavior, charior, & pretioſior es, quàm, quód ſis Dominus, Deus creator meus: nihil enim naſci nobis profuit, niſi redimi profuiſſet. Revereor quidem, & adoro ſanctũ & terribile nomen tuũ, Deus! ſed amplector cum Svavio nemen JESU, & cordi meo ſemper impreſsũ eſ-

ſe deſidero. Svavitas Nominis tui ô Jesu! in me exerat virtutē ſuam, intellectum meū paſcat amorem excitet, nutriat pietatem, vires meas confortet, caſtas affectiones foveat, & ita ſpiritum meum poſſideat; ut ſemper vegetus, & fortis ſim ad laborandum, & patiendū pro gloria tua. Gaudeo mi JESU! nomen, Tuum eſſe ſuper omne nomen & te pariter exaltatum eſſe ſuper omnes creaturas, Vivit Dominus, & benedictus Deus meus, & exaltetur Deus ſalutis meæ. Gaudeo ipſos dæmones vel ad ſonum nominis tui contremiſcere. Quod mihi ma-

gno est solatio. In nomine tuo spernã insurgentes in me. Utinã magis & magis indies fiat à solis ortu usque ad occasum laudabile nomen tuum. O cælestis Pater! mirifica misericordias: tuas ut omnes Gentiles, & hæretici ad verã fidẽ unigeniti Filij tui convertantur: Non enim misisti illũ, ut judicet mũdum; sed, ut salvetur mundus per ipsum, nec est in alio aliquo salus, in quo oporteat nos salvos fieri. Quare mi Jesu! in nomine tuo salvũ me fac insidiantur mihi dæmones, fiat manus tua; ut salvet me. Caro, & mundus quærunt me seducere; sed

ſed converte nos Deus, & oſtẽde faciẽ tuã, & ſalvi erimus. Dirige me in veritate tua, & doce me: quia tu es Deus Salvator meus, cui ſit honor, & gloria cum Patre, & S. Spiritu in ſæcula ſæculorũ. Amen.

VARIÆ ORATIONES
Ante, aut poſt Communionẽ vel Sacrificium.

Quotieſcunq; enim manducabitis panem hunc, mortem Domini annuntiabitis. 1. Corinth. 11.

SCio mi JESU! quàm gratum tibi ſit, fieri memoriã paſſionis tuæ; imprimis verò tempore com-

communionis. Quare oblivioni detur dextera mea, si non vel tunc saltem meminero tui. Pone te, ô JESV Crucifixe! ut signaculum super cor meũ; ut te ardenter, & constanter diligã, ut signaculum super brachium meũ ut etiam ipso opere meum in te amorem contester. Et cũ te modo præsentem habeã, Liceat mihi per omnia sacratissimi Corporis tui membra affectũ cordis mei exprimere. Quare veneror mi JESU! & adoro Verticẽ tuũ, spineâ corona circũdatũ, oculos lachrimis irriguos & velatos, aures contumelijs saturatas, genas percussas alapis

os

os ſputis fœdatum, lingvam felle, & aceto potatam, humeros crucis pondere gravatos, brachia violenter extenſa, & manus clavis perforatas. Veneror, & adoro mi Jesu! tergũ tuum imò totum corpus tuum flagris dirè laceratum, pectus tuũ ſummis plenum anguſtijs, & afflictum uſq; ad mortem, latus lanceâ perforatum, genua toties in precibus incurvata, pedes laſſatos, & ferro pertuſos. Omnia denique & ſingula Corporis tui membra iterum, iterumque veneror, & adoro, ſummaſque gratias ago pro omnibus, & ſingulis doloribus, & cruciatibus

amore nostri toleratis. Et quia ego sæpius abusus sum membris meis, & te Deum meũ offendi. Offero tibi ô cælestis Pater! omnes illas afflictiones, & pænas, quas pro culpis nostris Filus tuus in suis quinque sensibus pertulit, humiliter rogans: ut mortificationem quoque D.N.J.C. in corpore nostro jugiter circumferamus.

Crux tua sit mihi Scala Jacob quia per illius gradus, h. e. obedientiam, & humilitatem, patientiã, & charitatem ad cœlũ desidero conscendere. Trahe me post te ô Jesu! & perfice desiderium bonæ voluntatis meæ.

San-

Sangvis tuus ſit mihi ô Jesu! balneũ, in quod totum me immergo: à capite enim uſque ad calcẽ non eſt in me ſanitas. Sit mihi oleum, quo ungantur, & curentur vulnera mea. Sit refrigerium malè æſtuantis concupiſcentiæ, & incentivum tepidi ſpiritus, ut meus in te amor nunquam refrigeſcat.

Corpus tuũ Domine Jesu! quaſi piſcina probatica quinque habens porticus. Multis ego infirmitatibus afflictus ſum; nec hominem habeo, præter te, qui ſanare me poſſit. Proin inſtanter peto: ut ſaltem, quando motus eſt aquæ ſalutaris, tempore

ſcili-

ſcilicet communionis, quo te in me recipio, ego viciſſim per tua quinque vulnera immittar in te, & recipiar: ut totus ſanus fiam.

Omne animal per oſtium laterale Arcam Noe ingreſſum non periit; ſed vivum remanſit. Et mihi ſalutis oſtium eſt latus tuum ô JESV! apertum. Illud modò in ſpiritu ingredior. Hic latere cupio ſecurus â communi interitu. Hic cor tuum invenio fontẽ omnis vitæ in quẽ demergo cor meũ: ut in vitã æternã cuſtodiatur.

Sit denique faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi: inter ubera

ubera mea commorabitur: intellectu enim & voluntate meâ tam arctè complecti desidero JESVM meũ crucifixũ: ut nec ipsa morte valem separari.

GRATIARVM ACTIO.

BEnedic anima Domino, & omnia, quæ intra me sunt nomini sancto ejus; quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen ejus. Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se. Propterea confitebor tibi Domine Deus meus! in toto corde meo, & glorificabo nomen tuũ in æternũ, & laudabo magnificentiã

centiã gloriæ Sanctitatis tuæ, & memoriã abundantiæ ſvavitatis tuæ: quia bonitatem feciſti cũ ſervo tuo. Venite audite, & narrabo omnes, qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ. In loco paſcuæ, ubi cibus & potus, eſt Caro & Sangvis Jesu Chriſti, ibi me collocavit, ſuper aquã refectionis educavit me, animã meam convertit, impingvavit in oleo caput meum, & calix meus inebrians quã præclarus eſt. Quid eſt homo, quod memor es ejus, aut Filij hominis, quia reputas eũ Nunquid ego totus in peccatis natus ſum, & ſubſtantia mea tanquã
nihi

nihilum ante te; & dignum ducis, ſuper hujuſcemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in conviviũ? O quã bonus Deus Iſrael his, qui recto ſunt corde! quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, quã abſcondiſti timentibus te. Guſtate & videte: quoniam ſvavis eſt Dominus, beatus vir, qui ſperat in eo. Confiteantur Domino miſericordiæ æjus, & mirabilia ejus filiis hominum: quia ſatiavit animam inanẽ, & animam eſurientem ſatiavit bonis. Panem Angelorum manducavit homo: Propterea benedicam Dominum in omni pempore ut

placeam coram Deo in lumine viventium, & inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum.

ORATIO
Ad Christum per 8. Beatitudinis.

ADoro te Domine Jesu Christe submisissimè cum Beatis illis, qui sunt pauperes spiritu, & gratias tibi ago: quòd propter nos egenus factus sis: & tuâ inopiâ ditaremur. Fac me humilē corde, & pauperē spiritu, ut spirituales tuas divitias & copiosiùs accipere valeam, & securiùs conservare.

Gaudeo mitissime Jesu! quod digna-

dignatus ſis venire ad me terrá ſilveſtrem, inanem & vacuam. Poſſide me totum, & manſvetudinis tuæ oleo perfunde: ut feris paſſionum mitigatis, terra cordis mei fructus tibi gratos, & mihi ſalutares conſtanter ferat.

Proſterno me corã te mi Jesu! cũ pænitentibus, qui lugent peccata ſuá: fac me participem illius luctus; ut te contrito, & mundo corde ſemper recipiens Ægypti delicias faſtidiam; manna verò ſpiritualium conſolationũ ad promptius ſerviendũ tibi & aliis propter te, deguſtare merear.

Ignoſce Domine Jesu! quod tam modica ſit in me eſuries, & ſitis juſtitiæ. Rogo te per deſideriũ illud, quo te ipſum nobis in cibum dare deſideraſti; Dona mihi gratiã: ut ſobriè, juſtè vivendo implere poſſim omnẽ juſtitiã in hac vita, poſt hanc verò gloriâ tuâ merear ſatiari.

O quæ viſcera miſericordiæ tuæ Pater ſancte! in quibus viſitavit nos oriens ex alto. Minor ego ſum omnibus miſerationibus, ex quibus conflatus ſum totus, & quomodo poſſum nõ eſſe miſericors? O pie Jesu! fac me participem charitatis tuæ: ut gaudio mihi ſit, amore tui miſe-

misericordiam aliis, si quam possim, exhibere.

Confundor mi Jesu! quod stabulum cordis mei subire non horreas. Parce negligẽtiæ meæ & munda me totũ ab omni inquinamento carnis, & spiritus in sangvine tuo: ut sicut à me jam per speculum in ænigmate, ita revelata tandem facie æternum videaris.

Fili Dei, Princeps pacis gratias tibi ago, quòd dederis potestatem recipientibus te, filios Dei fieri; & cũ tales debeant esse pacifici, doleo, si quã dissidij aut turbationis causam unquã dederim. Libera me ab omni

inquieto ſpiritu: ut in bona pace tecũ, mecũ, & cum proximo ſemper vivam. Fructũ verò adoptionis in cælo recipiam.

Benedicta ſit in æternũ charitas illa tua ô Chriſte! qua tot perſecutiones pateris etiam in Venerabili Sacramento. Eſto robur infirmitatis meæ: Sine te enim non poſſum quidquã mali propter juſtitiam pati. Juva me quæſo! in gravioribus præſertim tentationibus; ne regno cælorũ priver. O ſi verè agnoſcerem, qualis ſit gratia, & dignitas, pati propter te, mi Jesu.

O SACRUM CONVIVIUM

IGnoſce mihi peccatori ô Jesu quòd

quód te fontē omnis Sanctitatis ſumere præſumpſerim. Sancti-fica ſpiritū meū, in nomine tuo ut tibi cum Patre tuo in eodem jugis ſit manſio; corpus verò immaculatū ſerva, ut ſtabile tē-plum ſit Spiritus Sancti.

O Convivium divinum, quod tu, ô cæleſtis Pater! in Filio tuo nobis adornaſti. Ego ex toto corde meo cū eodem Filio tuo elevatis in cælū oculis ad te De-um Patrem omnipotentē, tibi gratias ago pro ſumma charita-te illa; & cū me referendis gra-tiis imparē agnoſcam, omnes Choros cæleſtes invoco, ut pro me æternū benedicant nomini

 tuo.

tuo. Opto interim ſacro hoc convivio ſic ineſcari animam meã: ut indies magis & magis divini amoris dulcedinẽ merear deguſtare.

In quo Chriſtus ſumitur, Hoc firmiſſimè credo mi Iesu! ideo ſolùm; quia tu dixiſti, & quidem certius, quã ſi oculis viderem; gaudeòque, quòd ſic captivando intellectum meũ tibi obſequium aliquod præſtare poſſim; cupiens in veritate annumerari Beatis illis, qui nòn viderunt, & crediderunt.

Recolitur memoria Paſſionis ejus in ultima cæna nobis ſpecialiter commendata. Proinde oblatũ

blatum missæ sacrificium velim esse Eucharisticū, summas tibi gratias agens mi JESU! pro sudore sangvineo, & tristitia usque ad mortē, pro vinculis, & catenis, alapis, & sputis, flagellis, & spinis, pro bajulatione crucis, crucifixione, & morte tua amore nostri susceptis. Hoc insuper dabis mihi: ut in amore tui reciproco vivā & moriar.

Mens impletur gratiâ. Ecce mi JESU! vasa animæ meæ intellectum, memoriā, & voluntatē meam tibi offero: ut à te mundentur magis & aptentur ad recipiendum pretiosa dona

illa, quæ nobis tuo Sangvine comparaſti. Imprimis autẽ peto: ut memoria mea continuò excitetur ſvavi recordatione præſentiæ tuæ, intellectus prudentiâ juſtorum inſtruatur, voluntas veró piis ſemper affectibus in finẽ ſuum ultimũ feratur.

Et futuræ nobis gloriæ pignus datur ſecundùm promiſſionem tuã Ioan.6. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Cũ igitur toties pignus illud ſacroſanctũ acceperim, quidni ſperẽ vitæ æternæ me fore participẽ imò confido; modò hæc data mihi fuerit gratia, quã enixè peto: ut prius ſacro hoc pignore

ite-

iterum inſtructus ex hac vita diſcedam.

PATER NOSTER.

PAter de cælis Deus! offero tibi Filium tuũ unigenitum in quo tibi benè complacuit, ut per ipſum perfectiſſimè ſanctificetur nomen tuũ. Per ejuſdem Filii tui virtutes, ſpecialiter divinas tuas perfectiones laudari deſidero; ſcilicet per actus religionis, præcipuè, adorationis majeſtatẽ tuã, obedientiæ, dominiũ tuum, amoris, bonitatẽ tuam, gratitudinis, beneficentiã tuã, patientiæ, juſtitiam tuam, manſvetudinis, clementiã, & benignitatẽ tuã, humilitatis, in

fini-

finitam ſublimitatē tuam &c. ut per hos, alioſque perfectiſſimos virtutũ actus omnis noſter defectus, & negligentia in ſanctificatione nominis tui commiſſa suppleatur.

Adveniat tecũ pariter mi Jesu! in cor meum regnum gratiæ tuæ, quæ rationem meã legi tuæ, rationi vero paſſiones, & appetitus meos ſubiiciat: ut non dominetur mei omnis injuſtitia; ſed potius in me ſit, & ſemper maneat regnũ Dei, hoc eſt juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto. Fiat voluntas tua ô Chriſte! Proinde peractũ ſacrificium offero in memoriã

tui,

tui, ut jussisti, simulque dona gra tiã: quâ voluntatẽ tuã in terra, sicut Beati in cœlo since-rè, alacriter, & cõstanter implere possim.

Gratias tibi ago Domine Jesu! Pro pane quotidiano, imprimis verò supersubstantiali cibo, & potu corporis, & sangvinis tui; & precor: ut, quos effectus panis in corpore, similes caro, & sanguis tuus operetur in spiritu: ut scilicet vitã, spiritualẽ ánimæ meæ conservet, augeat, & corroboret; ut sapiat mihi observantia legis tuæ, & cũ gustu à me fiant, quæ sunt ad tuam gloriam, & salutem meam.

Pro meis & hostiũ meorum de-

debitis offero tibi ô cælestis Pater merita Filii tui infinita, quæ non potest non acceptare, modò nullus sit obex, quòd si talis foret, & hunc per eadē merita removeri flagito: ut ego, & omnes inimici mei, quos ex animo propter te diligo, tibi perfectè reconciliemur.

Tu nôsti Domine quàm infirma sit caro mea, imò & spiritus.

Robur utriusque, & munimen sit Sacramentum, quod sumpsi. In ejusdem Sacramenti virtute instanter peto, ut carnem mortificationis spiritu, mundū contemptus, dæmonē vivâ in Deū fide valeam superare.

Spe-

Spero mi Jesu! cùm modò mihi præſens ſis, forę: ut liberes me ab iis ſaltē malis temporalibus, quæ prævides ſaluti meæ obfutura, præſertim verò libera me à malo, ſive gravi peccato. Da mori priùs, quàm in illud incidere. Denique ne ſeparer à te ſine meo ultimo, libera me à malo damnationis perpetuæ: quia cum Sanctis tuis te in æternum laudare deſidero.

ORATIO

Petens à Chriſto 7. opera miſericordiæ.

DOmine Jesu Chriſte! qui eſurientes reples bonis, & divites dimittis inanes, excita in

me

me ſemper deſiderium tui: hoc ipſum enim paſcit me; & pane illo vivo, qui de cælo deſcendit refice ſpiritum meũ: ut in fortitudine cibi illius ambulẽ uſq; ad montem Dei Sion.

D. J. C. Fons patens domui David & habitantibus Jeruſalẽ in ablutionem peccatoris. Anima mea, quaſi terra deſerta, invia, & inaquoſa. Riga eam fluentis gratiarum tuarum: ut in me fian incrementa frugum juſtitiæ, & æſtus concupiſcentiæ meæ temperetur.

D. I. C. Captivorum Redẽptor, gratias tibi ago, quod in ergaſtulum cordis mei ingreſſus

ſis,

ſis, libera ſpiritũ meum captivũ à lege peccati, ſolve vincula delictorum meorũ, & in libertatẽ filiorum tuorũ aſſere me.

D. I. C. Pauperum ſolamen miſer ego ſum, & miſerabilis, pauper, cæcus & nudus, miſerere mei obſecro! indue me veſtimento ſalutis & indumento juſtitiæ circumda me nè veſte nuptiali carens mittar in tenebras exteriores.

D. J. C. Archiater optime gaudeo, quod ad me ægrũ veneris. Exeat quæſo! virtus de te quæ ſanet omnes infirmitates meas, & talẽ mihi vigorẽ ſpiritus

ritus conferat, ut à morte æterna præservet.

D. I. C. Quæ hæc bonitas tua ut me visites in loco peregrinationis meæ? Custodi me ut pupillā oculi, sub umbra alarū tuarū protege me ab inimicis. Dirige in conspectu tuo viam meā; ne à cælesti patria aberrē.

D. J. C. Resurrectio, & vita nostra! da, ut peccatis mortuus in sanctitate & justitia vivam Deo; & sepultis in morte & passione tua delictis meis in novissimo die merear in æternā vitā resuscitari.

ORATIO
Ad B. V. Mariam.

SIcut oculi ancillæ in manibus

Dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad te ô Beatiſſima Virgo Maria ut pro nobis anima tua magnificet Filiũ tuũ, eidemque gratias agat pro beneficio cõmunionis. Eam inſuper nobis gratiã exora ut tecũ ſpiritus noſter in Deo ſalutari ſuo mereatur exultare.

FESTIS APOSTOLORUM.

CUm S. Petro adoro te mi Jeſu! Principẽ paſtorũ, & Epiſcopum animarũ noſtrarũ, corde, & ore confiteor: Tu es Chriſtus Filius Dei vivi. Sim quæſo! & maneã ſemper inter oves paſcuæ tuæ.

Cum S. Paulo flecto genua mea non ſolũ ad Patrẽ D.N.I.C

ſed etiam ad te Ieſum Chriſtum Filiũ ejus naturalem, & gratias tibi ago pro dato Spiritu adoptionis Filiorũ Dei, in quo clamamus Abba Pater. Hoc tantum rogo; ut hæredes Dei, & tui cohæredes fiamus.

Cum S. Ioanne adoro te mi Iesu! legislatorem ſvaviſſimũ, diffunde quæſo charitatẽ Dei, & proximi per Spiritum S. in cordibus noſtris: ut, ſicut tu unus es cum Patre, ita omniũ noſtrum ſit cor unum, & anima una.

Cum S. Iacobo adoro te mi Ieſu ſedentẽ ad dexterã Patris tui, & cum eodẽ Diſcipulo tuo à dextris tuis ſedere deſidero.

Si

Si vis, ut calicē tecū bibam, da, ut velim, & possim, & hoc ipsū rogo te per calicē Sangvinis tui: ut de fructu illius particeps factus introire aliquando merear cum illis in regnū tuū, quibus paratū est à Patre tuo.

Cum S. Andrea adoro te mi Iesu! amatorē crucis mirabilē. Vis exempli tui, & auxiliū gratiæ tuæ faciat mihi jugū tuum svave, & onus leve: ut sciā in patientia possidere animā meā

Cum S. Thoma adoro te mi Iesu authorē, & consummatorem fidei nostræ. Dominus Deus meus, & Deus meus? adauge nobis fidem, & talē quidē, quæ

per charitatē in nobis operetur.

Cum S. Philippo adoro te mi Jesu! ſubſtantialem æterni Patris imaginem. Oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis. Eū in finem peto: ut ſemper beneficio communionis fiamus Filii Patris tui magis accepti, & hæreditatis cæli obtinendæ magis ſecuti.

Cum S. Bartholomæo adoro te mi Jesu! regem regū, & dominum dominantium. Volo! ut tu ſolus regnes in medio cordis mei. Iuva me, ut quidquid in me contrariatur legi tuæ ſubjungetur.

Cum S. Mathæo adoro te

mi Iesu medicum animarũ nostrarũ, & gratias tibi ago; quod mihi non conviva ut Mathæo, sed convivium factus sis & medicina. Ecce quem amas, infirmatur. Sana me Domine, & sanabor; dic animæ meæ, salus tua ego sum, salvum me fac, & salvus ero.

Cum S. Jacobo adoro te mi JESU! Dominum & Magistrũ nostrum, totum me dominio, & magisterio tuo subiiciens. Servus tuus sum ego, utinã bonus & fidelis. Etiam discipulus tuus esse desidero; sed mitis & humilis corde: ut veram animæ requiem inveniam.

Cum S. Juda Thadæo adoro te mi Jesu! ducem militiæ noſtræ. Noſtra fides in te, victoria noſtra eſt. Da igitur mihi ſcutum fidei, gladium ſpiritus, galeam ſalutis, & loricam juſtitiæ: ut certem tanquam bonus miles Chriſti, ut coronam reportem gloriæ.

Cum S. Simone adoro te mi Jesu! qui nobis à Deo conſtitus es Judex vivorum & mortuorum. Munda cor meum in ſangvine tuo & meritis tuis exorna, dũ communico, ne te in judicium & condemnationem accipiam. Excita, urge & juva ſpiritum meum: ut cum electis

tuis

tuis ovibus vocem tuam audiã, & ab auditione mala non timebo.

Cum S. Mathia adoro te mi Iesu! alpha & omega, principium & finem salutis meæ. O si illum aliquando attingerem. In te sunt Deus vota mea: & quia timeo, ne alius accipiat coronam meam, gratiam peto efficacem: quâ per bona opera vocationem meã certam faciã, atq; consummẽ.

ALPHABETUM
Ex SCRIPTURA.

Psal. 71. Abundatia Pacis *v.*7.

Flat pax in virtute tua mi Iesu! & abundatia gratiarũ tuarum tecum veniat, ita se dif-

fun-

fundens per totum cor meum: ut in eodem nullus imposterum mundo, carni & diabolo locus esse possit.

Jerem. 13. Brachiũ Domini. *vers.* 1.

TU nosti Pater S. quam debiles servi simus. Esto brachium nostrum, dum visitas nos in salutari tuo. Virtus quidẽ in infirmitate perficitur, sed infirmitas mea tuâ virtute roboratur. Confirma ô Deus! quod operatus es in nobis fidem, spẽ & charitatem; ut maneant in nobis tria hæc, major autẽ horũ charitas nunquam excidat.

Lucæ. 1. Cornu salutis *v.* 69.

Gaude

GAude mi Iesu decus & robur meum de erecto nobis cornu ſalutis in Venerabili Sacramento. Tu mihi dilectus es, quemadmodum filius unicorũ decorem indutus, & fortitudinem. Virtute & gratiâ tuâ mihi opus eſt. Utrâque quaſi diploide induar, per te ô Jesu! ut ego ſim, & maneam dilectus tuus.

Ioan. 4. Donum Dei. *v* 10.

O Quale donum! ubi donator ipſe venit in donum. Gratias tibi ago ô Jesu! quia dare præſtantius non potuiſti. Quid retribuam tibi ſi cor meum deſideres immundum, & vacuum, habe

habe illud; ſed ſic repurga, renova & exorna: ut libenter illud inhabites.

Proverb. 17. Expectatio præſtolantis. *v.* 8.

QUæ expectatio mea nonne Dominus õne ac ſũmũ, bonũ quod me ſolũ poteſt ſatiare. Libera quæſo Domine! à vanis concupiſcentiis ſpiritum meũ: ut in te Deo, unico ſalutari meo, quod in ſilentio, & ſpe præſtolabor, quieſcat.

Zachar. 5. Frumentum Electomur *v.* 17.

VÆ mihi! ſi de electis tuis nõ fuero mi JESU! cum electo electus eris, & volentem ſalvari non

ri non deſeres. In ſpē firmā erigit me eloquium tuum, quo promittis vitam æternā manducantibus te. Scio, cui credidi, & certus ſum. Modò ex parte mea non deficiam. Proinde, cum Euchariſtia ſit panis cor hominis confirmans, illa ſtabiliri cor meum peto, & in gratia confirmari.

Iſaiæ 5. Germen juſtitiæ. *v.* 23.

BEnedicta ſit in æternū patientia tua mi Deus! quód me oleaſtrum inutilem uſque huc terrā occupare permiſeris. Peto humiliter: ut, dum per communionem tibi olivæ cœleſti inſeror, tantum virtutis, & gratiæ attraham, tamq; firmiter tibi per amo-

amorem insertus maneam; ut me nihil à te possit separare.

Levit. 3. Hostia Pacificorũ *v.* 1.

IN Sacrificium propitiatorium offero tibi ô cœlestis Pater! Filiũ tuum: ut tibi perfectè per plenam omnium culparum, & pœnarum remissionem reconciliemur; ut verò tibi reconciliati maneamus, largire nobis cor bonum, & pacificum: ut simus invicem soliciti servare unitatẽ spiritus in vinculo pacis,

Iosue 15. Irrigum superius *v.* 19,

DEficit spiritus noster ô JESU! quasi palmes arescens, nec juvare se potest; nisi irriguo cœlesti influxeris. Penetret quæso vivus

vivus, & efficax ſuccus gratiæ tuæ omnes vires & potentias animæ noſtræ: ut eamus, & fructum afferamus, & fructus noſter maneat.

Ioan.c.5. Lucerna ardens.*v.*35.

IN ſimplicitate cordis ſolâ fide impulſus accedo ad te mi Iesu & adoro lumen infinitum Divinitatis tuæ ſub ſpecie panis abſconditum. In me fateor parũ lucis eſt, minus ardoris. Tu ô Iesu! ſi vis juvare me potes. Fac igitur: ut in me lumen fidei ſẽper ardeat, & amoris ardor ad proximi ædificationem ſemper luceat.

Eccle-

Ecclesiastici 6. Medicamentum vitæ. *v.* 16.

NOn solùm propter necessitatem honoro te ô Jesu! medicum infirmitatis meæ; sed etiam ex toto corde diligo propter excellentiam medicinæ, quam nobis ex carne, & sangvine tuo præparasti. Virtute hujus medicinæ fretus, me certo certiùs à morte æterna præservandũ spero. Hoc germen spei meæ ita gratijs tuis irrora: ut fructũ proferat vitæ æternæ.

Proverb. 31. Navis institutoris. *v.* 14.

TU ô Christe! navis es salutifera de longè, hoc est, de

cœlo portans panē, quo necesse est refici animam meam. Panis ille suâ virtute ita afficiat, & convertat me ut in te, de te, & propter te vivens salutis portū attingam.

Ioan. c. 10. Ostium oviū. *v.*7.

QUàm bonus pastor es ovium ô JESU! quamvis amore tuo indignus sim, peto nihilominus in corporari gregi tuo: ut per te ingrediar, & egrediar, & pascua inveniam; quibus ita impingvetur, & roboretur spiritus meus; ut te pastorem meū constanter sequi possim, & introire aliquando in gaudium Domini.

O

Cant.

Cant. c.4. Peteus aquarvm viventium. *v.* 15.

DOleo mi JESU! & veniam à te ſuppliciter rogo, quod animam meam vivam tui imaginem toties peccando maculaverim. Me totũ immergo in puteum aquarum viventium: Et quia aquæ tuæ ô JESU? puræ ſunt, per illas peto ab omni immunditia purgari. Quia medicinales: à futuris noxis præſervari. Quia dulces: experiri prægustum aliquem illius dulcedinis, quam abſcondiſti timentibus te.

Epiſt. 2. *ad Thim.* 6. Quæſtus magnus *v.* 6.

Ma-

MAgnus quæſtus JESUM poſſidere. Quid prodeſt mihi lucrum univerſi, ſi JEſum non habeam? malo tecum ô IESU eſſe in inferno, quàm ſine te in paradiſo. Et ideo omnia detrimentum facere paratus ſum: ut te IESUM meum lucrifaciã: cum ſis theſaurus cordis mei pretioſiſſimus. Ubi verò theſaurus meus, ibi & cor meum erit.

Oſ. c. 13. Ros matutinus *v.* 3.

FLuat ut ros eloquium tuũ ô Chriſte! & noxium germen intellectus, & voluntatis meæ quam primum extinguat; bonas vero cogitationes ſacro, & ſuavi illapſu ſuo foveat, & pios af-

fectus nutriat. Imprimis tamē ô Iesu! matutino tempore peto imbui animam meam gratioso rore tuo, ut illius efficaciā per totum diem sentiens magis sēper in bono proficiam.

Numer. c.7. Simila consper-
sa oleo. *v.* 13.

NOn similam tibi ô cœlestis Pater! sed purissimam humanitatem Domini N.J.C. tibi offerro, oleo Divinitatis delibatam; ut in ea tibi singulariter complaceas, & pro mea in te laudando, & amando negligentia supplementum habeas. O si cor meum instar similæ purum foret, amoris tui oleo consper-

sum

ſum! Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum amoris tui innova in viſceribus meis.

Exod. 35. Thymiama odoris ſuaviſſimi. *v*. 26.

AScendat oratio noſtra Pater S. ſicut incenſum in conſpectu tuo per Dominum N. I. C. Odor ejuſdem ſuaviſſimus conſumat, quidquid fœtoris ex parte noſtra immixtũ eſt, ut Chriſti Filij tui bonus odor ſimus: & ut odor iſte tibi cedat ad gloriã proximo ad ædificationem, nobis verò ſingulis ad ſalutem, & vitam æternam.

Zachar. *c* 5. Vinum germinans Virgines. *v*.17.

NOsti Domine Jesu! quibus nos periculis involvat carnis concupiscentia. Caro tua sacrosancta carnem nostram mũdificet. Sangvis tuus immaculatus pravos æstus sangvinis nostri sedet, & extinguat. Spiritus tuus Divinus ita animas nostras possideat: ut tibi casto corpore serviamus & mundo corde placeamus.

GRATIARUM ACTIO PER ANGELOS ET SANCTOS.

IN conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus, & confitebor tibi Domine in toto corde meo, in concilio Justorum, & con-

& congregatione. Magnificate Dominum mecū, & exaltemus nomen ejus in idipſum. Benedicite omnes Seraphini Domino, pro tanta charitate laudate, & ſuperexaltate Deū Salvatorē meum. Benedicite omnes Cherubini Domino, pro tanta charitate laudate &c. *repetuntur prima & ultima eadem verba,* Benedicite omnes Throni Domino &c. Omnes Dominationes, omnes Virtutes, omnes Poteſtates, omnes Principatus, omnes Archangeli, omnes Angeli, omnes SS. Patriarchæ & Prophetæ, omnes SS. Apoſtoli, & Evangeliſtæ, omnes SS. Martyres

tyres & Confessores, omnes SS. Monachi, & Eremitæ. omnes SS. Virgines & Viduæ. Benedicite omnes Sancti & Sanctæ Dei Domino; pro tanta charitate laudate, & superexaltate Deum Salvatorem meum, cui cum Patre & S. Spiritu sit honor & gloria in sæcula sæculorũ. A.

DUODECIM FRUCTUS SPIRITUS

Ad Galatas c. 5. v. 22. & v. 23.

CHARITAS.

Ignis.

IGnem venísti ô IESU in terrã mittere, & quid vis? nisi ut accendatur: Ecce spiritus meus friget, sicut uter in pruina. Consume

ſume in eo, quidquid eſt amoris proprij: ut in ara cordis mei ſemper purus ignis amoris tui ardeat; & hunc ignem ſuavitatis tuæ oleo in me conſtanter fove! ut in amore tui vivam, & moriar.

GAUDIUM.

Corona.

O Iesu! gaudium meum, & corona mea, in te exultare debet ſpiritus meus; cũ ſis conſummatio omnis gratiæ, virtutis, & gloriæ. Juſtifica indies magis, & lætifica animam ſervi tui, corona me in miſericordia & miſerationibus tuis: ut ſim bonus, & fidelis ſervus tuus, &

audi-

audire aliquando à te merear: intra in gaudium Domini tui.

PAX

Iris.

SUmmas tibi gratias ago mi IESU! quod nos æterno Patri reconciliaris in ſangvine tuo, in cujus effuſione quaſi nube roſcida miſericordia & veritas obviaverunt ſibi, juſtitia & pax oſculatæ ſunt & iridem reconciliationis pulcherrimam nobis fecerunt, Doleo, quòd pacem tam carò emptam pro merito non coluerim. Veniam ſuppliciter rogo, & gratiam: ut quãtum in me eſt, ſtudeam pacem habere ad omnes, & cũ omnibus

bus æterna tandē pace fruar. A.

PATIENTIA.

Palma.

LIceat mihi ô IESU ascendere in palmam crucis tuæ, & apprehendere fructum patientiæ tuæ, illa enim mihi summopere necessaria est. Quærunt me supprimere hostes mei; sed ut palma florere desidero, & in virtute tua altiùs assurgere. O cœlestis Pater! sit in me gratia Filij tui victrix passionum mearũ, & hæc victoria mihi ad salutē, tibi ad gloriã cedat sempiternã.

BENIGNITAS.

Mamilla.

CVm parvulis in simplicitate cordis mei adoro mi IESU!

benignitatem tuam quaſi mamillam pectoris tui. Fluat ex illa puriſſimũ lac doctrinæ tuæ in intellectum noſtrum, & dulcedo amoris tui in voluntatem noſtram ut non pueri ſenſu; ſed malitia parvuli fiamus, cũ proximo benignè ſemper, & ſincerè converſemur in terris, tuâ verò benignitate æternum gaudeamus in cælis.

BONITAS.

Fons.

BEnedicta ſit in æternum liberalitas tua ô IESU non enim ſolum bona ſpiritus ſancti; ſed ipſam bonitatẽ, non aquas tantũ ſalutares, ſed ipſum fontẽ do

nasti nobis. Doleo, quòd tam ingratus tibi fuerim usq; huc, ut fluxũ gratiarum tuarũ toties impediverim. Dilata cor meũ, & omnes sinus ejus occupet bonitas tua, ut in eo nullus malitiæ locus esse possit.

LONGANIMITAS.

Anchora.

QVam beatus homo, qui sperat in te IESU bone! adjutor meus & consolator meus esto, dũ prolongatur desideriũ meũ, sis quæso protector meus, ne tẽpestas demergat me cũ salutis naufragio. In adversis quibuscunq; fides mea te velut Cynosurã cursûs mei constanter respici-

ſpiciat, ſpes mea ſẽper in te fixa maneat velut anchora animæ meæ firma ac tuta, charitas verò Dei velut aſpirans flamen S. Spiritus me in portum ſalutis æternæ deducat.

MANSVETVDO.

Columba.

IGnoſce infirmitati meæ Domine IESU! quòd tã facilis ſim ad iram, & impatientiã. Velle quidẽ adjacet; ſed perficere nõ invenio. Da mihi ſpiritũ mitẽ & placidũ. Vtinam ſicut colũba foret unima mea ſine felle. Spiritus tuus mi IESU! ſuper mel dulcis tã ſuaviter cor meũ afficiat: ut nullâ injuriâ amareſcat.

FIDES,

Scutum.

SAlvator mundi! gaudeo te esse ducẽ militiæ nostræ, jurato fidelitatẽ tibi promitto; sub vexillo nominis tui volo vivere & mori. Tu interim provide mihi de armis spiritualibus: ut militem bonã militiã: imprimis verò in omnibus sumã scutũ fidei: ut possim tela nequissimi ignea extingvere.

MODESTIA.

Flumen.

CRedo, mi cœlestis Pater: te ubiq; præsentẽ esse: in te ipso enim vivimus movemur & sumus, & quòd unquã in conspe-

ctu tuo malè egerim, doleo. Obsecro igitur te per modestiã Filij tui: ut sicut flumen placidè intra suum alveum, ita omnes actiones & sermnones mei ad tuam gloriam & proximi ritè, graviter, & modestè sẽper procedant.

CONTINENTIA.

Cythara.

ADoro mi Deus! & glorfico providentiam tuam, cujus beneficio hucusq; cibus & potus mihi non defuit. Concede moderatũ utriusq; usũ, & confitebor tibi in cythara Deus, Deus meus. Doleo Harmoniam lau-

laudis tuæ unquã intemperantiã turbatam esse. Dona mihi gratiã: ut sobriè, semper piè, & justè vivendo laudes tuas aliquando cũ Sanctis tuis in cœlesti convivio æternum merear decantare.

CASTITAS.

Lilium Convallium.

NUllibi sic floret Domine Jesu Castitatis lilium, quàm in cordibus humilium, & ideò humilis esse cupio, & parvulus in oculis meis: ut in corpore & anima mea illibatum germen Castimoniæ semper floreat. Pro inde

inde etiam tibi ſupplico ô Spiritus S. Deus! ut hoc ipſum germen irriguo cœleſti à nimio æſtu, & alia quavis labe digneris cuſtodire.

FINIS.

piri-
ger-
o æ-
e-

